INSTITUTIONES
LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

AUCTORE

R. P. MATTHÆO LIBERATORE S. I.

IN COLLEGIO EIUSDEM SOCIETATIS AD D. SEBASTIANI
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE.

LIBER SECUNDUS
METAPHYSICAM GENERALEM
CONTINENS.

NEAPOLI
EDEBAT RAPHAËL TRAMATER

MDCCCXL.

Sed inter hominem et belluam hoc maxime inter est, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accomodat, paululum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem (quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit atque adnectit futuras) facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias.

Cicero de officiis l. 1.° c. 4.

IN METAPHYSICAM UNIVERSAM

PRAEFATIO.

Falsa perniciosaque existimatio nonnullorum animos imbuit, Metaphysicam, utpote quae notionum abstractarum, et contemplationis studio unice vacet, nil prope in mores influere, nullaque ex eius depravatione, vel bonitate commoda aut incommoda in societatem derivari. Verum qui ita opinantur, nae hi vehementer errant. Etenim si, vitiato fonte, una etiam inficiuntur rivuli; si particularia *ex* universalibus, *quibus continentur, pendent; si operatio speculationem consequitur eaque nititur: nemo est qui non videat Metaphysicam, quae principia maxime generalia contemplatur, quae ceterarum disciplinarum caput est et quasi fons, in alias profecto scientias, quotquot sunt, in societatem quoque ipsam hominumque mores, et, si ita loqui fas est, in opificum etiam officinas rusticorumque mapalia suas transferre qualitates, suaque incrementa vel decrementa diffundere. Quare illud constanter compertum est, in quavis Reipublicae parte turpificatos fuisse animos, aut bene moratos, prout Metaphysica, quam longe ab humanis moribus indocti putant, recte vel prave decreta sua pronunciarit. Ex quo plane intelligitur, quantopere intersit solida, et recta huius disciplinae fundamenta iacere, ad eamque augendam atque perficiendam summo studio elaborare. Quod, meo quidem iudicio, nunquam erit, nisi studio partium praeiudiciisque sepositis, tum recentiorum tum veterum scripta pervolutentur, ut eorum laboribus praesens etiam sapientium opera conferatur; atque ita, dum bonorum recentiorum speculationibus adiuvamur, egregia etiam veterum excogitata non aspernemur: quos adeo suspexit Genuensis, ut quamquam linguae, et stili elegantiam suo saeculo tribueret, metaphysicam tamen antiquiorum propriam esse asseruerit (1). Atque in hoc aetas nostra longe melius quam proxi-*

(1). Vid. Element. Metaphys. par. 3. Praefat. Philosopho suo.

me superiores aetates, videtur sapere. Enimvero philosophia non unius saeculi, sed multorum; non huius alter iusve sapientis, sed generis ipsius humani collatorum laborum est opus. Quapropter si, spretis ceteris, quisque novam ex integro sapientiam cudere autumat; perdifficilis et vasta mentium disciplina iugiter repuerascere, iterumque ad cunas redire coacta nedum constantem nunquam attinget aetatem, sed ne adolescet quidem, ut clarissimus Rosminus advertit egregie (1).

Haec ideo praefari volui, tum ut reprehenderem eos, qui quod ad diligentiam potius et laudem pertinet aculeis inustisque notis insimulant, et mentito nomine tuentur audaciam: tum ut ad modestam ac unice utilem philosophandi rationem, quod alias feci, vos hic iterum instituerem. Restat ut ad nobilissimae huic parti philosophiae, quae ceterarum princeps a sapientibus vocitata est, sedulam navandam operam vos cohorter. At cum ipsius addiscendae vos iam satis studio efferri cernam; inutile erit currentibus calcaria addere.

(1). Nuovo Saggio sull' orig. dell' idee vol. 1. in fine. Eius haec sunt verba ». Il disprezzo che mostrò Locke per Cartesio, l' avea mostrato Cartesio pei suoi predecessori: con questo disprezzo orgoglioso i filosofi non fanno che un far perdere al genere umano delle preziose cognizioni ch' egli possiede, un farlo sempre rimbambire, e ricominciare lavori, a cui avea già posto mano, e molto innanzi portatili; un fargli quindi gittare tempo infinito, ed uno stancar finalmente la sua pazienza infastidendolo della stessa filosofia, che i filosofi rappresentano. Veramente lo spirito filosofico non può essere giammai esclusivo ed individuale; egli é uno spirito conservatore, imparziale, e pieno: egli riceve con rispetto le tradizioni del genere umano, e dei particolari sapienti: egli non è in una parola lo spirito vano del mondo; è lo spirito stesso del Cristianesimo applicato allo studio e alla meditazione delle naturali verità.

INSTITUTIONUM

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

LIBER SECUNDUS

IN METAPHYSICAM PRAENOTIONES.

Ductum est Metaphysicae nomen ex titulo « τῶν μέτα τα φυσικα » qui nonnullis Aristotelis libris, sive ipsius auctoris opera, sive, ut critici volunt, opera illorum potius, qui eos digesserunt ordinaruntque, praefixus reperitur (1). Cum enim hi cetera Aristotelis scripta, quae peculiare argumentum amplecterentur, in summam contulissent; nonnulla, quae superfuerunt, quaeque res varias universalioresque spectarent notiones, in quatuor et decem libros dispartita eo nomine inscripsisse dicuntur. At quicquid de ea re sit, certum tamen est, metaphysicae nomen disciplinae, quam aggredimur, consentaneum esse quam maxime; atque ideo iure apud sapientes invaluisse. Iuxta enim vim vocis idem sonat ac disciplinam *trans* vel *ultra* physicam; idque ex eo, quod obiectum eius in altiori et nobiliori gradu, quam obiecta Physicae, constituatur. Aliud enim non est nisi aut ens in genere, aut res incorporeae, aut ea, quae in ipsis corporibus non sunt obnoxia sensibus, sed mente duntaxat capiuntur. Seu, ut simplicius loquamur, dici absolute posset obiectum eiusmodi esse *ens immateriale* aut *transcendens materiam*, ipsaque disciplina iure definiri: *scientia entis aut immaterialis aut materiam transcendentis.* Quod sic interpretaberis, ut vel res omni materiae admixtione liberas contempletur, vel corpora quidem quandoque, at secundum notiones universaliores, quae cum in se reapse ad materiam non coarctentur, *praecisione mentis transcendentes materiam* non immerito nominantur. Ex quo illud evidenter existit, Metaphysicam disciplinam non modo in possibilium (quod Kantiani negant) haberi numero; verum etiam non posse reiici quin totum scientiarum aedificium atque unitas dissolvatur. Ad primum enim quod attinet, si illa sibi *Ens* ipsum ad contemplandum

(1) Vide Cursum philosoph. Iosephi Capocasale t. 2. Prolus. n. 2.

assumit; obiecto ipsius nil *reale magis* comperiri potest aut ad naturam plus pertinens, cuius quidquid est ente quidem continetur. At vero obiecti *realitas*, ut quisque norit, realitatem constituit disciplinae. Quocirca notiones ipsius non perinde dicuntur abstractae, quasi non in iis, quae rebus insunt, sed quae animo duntaxat agitantur, atque solo idearum veluti labyrintho se continent, versarentur. Sed idcirco re vera sic appellantur, quia aut generatim quod commune est omnibus aut obiecta extra materiam posita, aut in ipsa materia ea tantum contemplantur, in quibus mens a sensilibus materiae mutationibus cogitationem abstrahit. Quare quae praecipua sunt in natura, et veluti notionum ceterarum principia eius speculationi subduntur; atque ideo luculenter apparet, quod dicebamus secundo, ex ipsa unitatem et robur in ceteras fluere disciplinas. Quibus expositis, sponte sua sequitur quaenam sit ipsi adhibenda partitio. Antiquitus enim ea tantum complectebatur, quae aut de Deo aut de spiritibus aut de notionibus quibusdam Ontologicis agerent. Successu temporis (opera praesertim Wolfii, qui theoriis de ente, de Deo, de anima, tractatum etiam de mundo in genere adiecit) in partes quatuor: Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam, et Theologiam naturalem, communiter coepta est dispesci. Elapso demum vertente saeculo ad solam Psychologiam vel etiam Ideologiam per scholam ideologicam coarctata est, non mediocri disciplinae huius iactura. Nos itaque a communiori divisione vix recedentes, eam in primis in Metaphysicam generalem et specialem tribuimus. Ens enim, quod Metaphysica considerat, aut generatim in sui ratione, ac iis quae ipsum universim attinent, spectari potest; aut quatenus ad primarias descendit partes. Si illud, Metaphysica exurgit generalis, alio nomine, Ontologia; sin erit posterius, Metaphysica emergit specialis; quae, quoniam *ens* in tribus praecise rebus positum est, Deo, humano animo, mundo adspectabili, tribus continebitur partibus: Cosmologia, Psychologia, Theologia, prout aut mundum corporeum, aut animum, aut Deum contemplatur. Quibus Metaphysica constet partibus explicavimus: ad singulas separatim iam veniamus.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU

ONTOLOGIA

PROLEGOMENON

Si universalia particularibus sunt implicita, eorumque notitia demonstrationis ac doctrinae ordine his anteponitur: methodus, quam sequimur, postulat ut in Metaphysica ab Ontologia ducamus exordium. Iam disciplina istaec, ut ipsum vocis etymon sonat, scientia est de ente; de quo non utcunque agit, sed eius naturam, proprietates, generalioresque scrutatur notiones. Quare distinctiori definitione, quae rem ipsam nomini subiectam explicet, eam describes: *scientiam entis in genere*. Ex quo patet, ipsam esse tamquam initium philosophandi, et veluti fundamentum aliis sternere disciplinis (1). Quocirca prudens quisque optime perspicit partem hanc primariam philosophiae non esse pingui Minerva, ut aiunt, exequendam, sed peracute et solerter; nec sufficere ut *lexicorum instar*, vocabula quaedam, quae passim recurrunt in scientiis aut conceptus aliqui generales explicentur. Sed opus plane est, ut philosophiae totius veluti fundetur exordium, idque ea soliditate et diligentia, quae tantae moli excitandae congruat. Haec de natura et obiecto Ontologiae: nunc ad eius delineandam

(1) Quemadmodum Logicam duci et instrumento comparavimus; sic etiam Ontologiam non immerito ianuae et fundamento assimilamus. Etenim ut illa mentem in vero exquirendo dirigit, ipsaque ad scientias veluti fabricandas utimur: ita haec ad philosophiae quasi theatrum introducit, eaque explanat, quae, utpote universalia atque ad ipsam notionem entis pertinentia, reliquarum disciplinarum, quae magis definitae sunt, principia et elementa attingunt.

partitionem veniamus. Ens, quod illa considerat, spectari potest in statu aut *subiectivo*, aut *obiectivo*, seu aut in ordine cognitionis aut existentiae realis. Cum primo modo spectatur, ea sunt generali huic scientiae vestiganda, quae cognitionis ambitum et principia, quibus eadem vel continetur vel dependet, universim attinent; idque plus minus semper est ab Ontologicis factitatum. Sin vero ens consideratur posteriori ratione, quid eius notio adfectionesque ferant; quaenam quidque partes, in quas dispesci possit; quibus causis contineatur; hae veluti pro re nata totidem quaestiones emergunt. Quamobrem quatuor capitibus theoriam hanc complectentes, primum de diversis veritatum classibus, quibus cognitio humana perficitur, tum de vera principiorum reductione ad unum; deinde de notione entis eiusque generalibus proprietatibus; tertio de multiplici entis divisione; postremo de causis entis, Deo favente, disseremus. Quae partitio, cum ab ipsa Ontologiae natura et obiecto sit ducta, eos refellit, qui Ontologiam male mutilantes, aliquam istarum partium aut Logicae aut Ideologiae adiudicant.

CAPUT PRIMUM.

De diversis veritatum seu iudiciorum classibus, ac de principiorum reductione legitima.

Quinque haec quaestio absolvetur articulis. Postquam enim iudicia et principia in suas classes distribuerimus, Humii et Kantii nobis repugnantem doctrinam refellemus; tum an veritates necessariae ad principium aliquod primum revocentur, ac quid de principio rationis sufficientis sentiendum sit investigabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quotuplex veritatum et principiorum genus adsit?

1. Veritates seu iudicia (veritas enim proprie pleneque nonnisi iudiciis continetur (1)) ad scientias quod attinet, aliae *immediatae* sunt, aliae *mediatae*: illae nobis notescunt propter se sine ratiocinationis adminiculo; hae contra ex antea notis demonstrando deducuntur. Haec abunde disputata sunt in logica nec uberiorem postulant explicatum. Exempla primi generis essent: *Partes simul sumptae aequant totum* (quod mens per mutuam relationem perspicit idearum); *In praesens ego cogito*, (quod conscientiae praebetur testimonio); *Existunt corpora*, (quod sensus immediate pertingunt). Exempla autem posterioris: *Mundus est natura contingens*, *Animus humanus perpetuo vivet*, aliaque, quotquot sunt, quae legitima ratiocinatione derivantur. Iam de veritatibus media-

(1) Vid. Log. parte 2. cap. 1. art. 1.

tis disserere ad Ontologiam non pertinet; quandoquidem haec ut supra dixi, ens in statu cognitionis, quoad ea tantum quae principia sunt, et perquam generalia, contemplatur. Quomodo vero ex notis legitime deriventur, id uberrime in dialectica est explicatum; cuius autem indolis naturam habeant, hoc ex iis, quae de immediatis dicemus, sponte veluti sua colligi poterit (1). Iudicia itaque immediata, de quibus ordinandis hic quaerimus, in duo genera partienda sunt: unum ex iis coalescens veritatibus, quae immediate pateant propter absolute necessarium, et evidentem nexum praedicati cum subiecto, ex. gr. *circulus* est *rotundus*; alterum iis constans, quae non item, sed immediate notescant propter evidens dumtaxat experimentum. Exemplo sint: *ignis adurit*; *aër est gravis*; *sum cogitans*; hisque similia, quae, ad cognitionem nostram quod attinet, non propterea habentur certa, quia praedicati notio notione subiecti continetur; sed tantum, quia experientia et facto ipso ita esse conspicitur. Illa, ut dictum est in Logica (2), vocari possunt: iudicia immediata (3) necessaria, aut analytica, aut pura, aut rationalia: posteriora vero dicuntur: immediata iudicia contingentia, vel empirica, vel etiam absolute synthetica; mox enim videbimus contra Kantium nullum esse syntheticum iudicium, quod experimentale non sit. Huius autem bipartitae divisionis ratio evidens est, quia iudiciis immediate ferendis nihil aliud in obiecto inest, quod mentem ad assensum moveat, nisi aut relatio ipsa idearum, convenientiaque praedicati cum subiecto immediate percepta, ut in hoc iudicio: *totum quavis sui parte est maius*; aut

(1) Res haud sane difficilis intellectu. Nam si iudicium mediatum sit eiusmodi, ut per ratiocinium *purum* ex duobus iudiciis analyticis deducatur; nemini dubium esse potest, quin et ipsum quoque analyticum censendum sit. Sic si dicas: *Quicquid simplicem naturam habet caret partibus; atqui quod caret partibus discerpi et dividi nequit*; *ergo quicquid simplicem naturam habet discerpi et dividi nequit*: certe veritas haec illata eadem, qua praemissae, necessitate pollet, et quamvis mediate, ex idea tamen subiecti resolutum praedicatum habet. Si vero per ratiocinium empiricum ex duplici experimentali iudicio deductionem infers, ex. gr. *aestati succedit autumnus*; *atqui modo est aestas*; *ergo post erit autumnus*: clarum est deductionem istiusmodi non esse nisi veritatem empiricam, quae physicae tantum sit certitudinis. Denique cum per ratiocinium mixtum ex praemissis altera rationali, altera experimentali illatio ducitur, veluti si dicas: *non existit ens contingens*, *nisi existat Ens necessarium*; *atqui existunt entia contingentia*; *ergo existit etiam Ens necessarium*: aperte vides iudicium hoc tertium ex superioribus illatum, non esse nec rationale tantum, nec experimentale, sed medium quodammodo, et hypotheticae necessitatis quoad nos; nimirum tale ut repugnet oppositum, facta hypothesi veritatis praemissae experimentalis, a qua etiam pendet. Quod genus illationis *medium*, vel, si lubet, *mixtum*, aut *rationale hypotheticum* nominabis.

(2) Part. 2. cap. 2. art. 3.

(3) Addimus *immediata*, ut hac voce distinguantur a *mediatis*, quibuscum ceterae denominationes possunt esse communes.

factum ipsum experiendo compertum sive conscientia, ut *loquor*, sive sensibus, ut *aqua refrigerat*: quae certe nisi experientia proderentur, nunquam comparatione idearum assequeremur. In *mei* enim idea profecto non est ut actu nunc loquar; ex aquae autem conceptu, qualem nos habemus, effectum illum, antequam experiamur, nequimus elicere. Ac de iudiciis quidem in genere diximus: modo ad principia ordinanda veniamus.

2. Etsi revera (ut ex iis etiam, quae in Logica explicavimus (1), patet) nomine principii in cognoscendo designari possit absolute quaevis veritas sive universalis sit, sive particularis, imo etiam *datum quodvis*, ex quo ratiocinatio procedat; tamen, quia scientiae proprie vereque notionibus universalibus constant, scientiarum principia eae veritates severius nominantur, quae et immediatae sint et generales, quaeque a Graecis ἀξιώματα, a Tullio *effata* (2) aut etiam *pronuntiata* (3) latine dicta sunt. De his itaque hic loquimur; ac quaerimus quomodo iudicia immediata, de quibus paulo ante dictum est, ad dignitatem *principii*, seu ad *axiomata* evehi possunt. Qua in re perspicuum est in primis iudicium quodlibet immediatum analyticum suapte vi et natura esse in axiomatum seu principiorum habendum numero. Etenim tale est, ut non modo menti sua luce pateat, sed universale se esse una simul ostendat. Cum enim in iudiciis eiusmodi attributum sit e notione subiecti, cum eoque absoluta necessitate copulatum, ubique, et semper eidem iungatur oportet: nec potest uspiam notio illius inesse subiecti, quin ibidem notio adsit attributi. Exemplum habes in iudicio saepe usurpato: *totum sui parte maius est*; in quo cum subiecti idea sui attributi ideam sibi implicet necessario: reperiri nunquam potest eodem attributo non praedita. Quare quot iudicia sunt analytica, tot axiomata seu principia scientiarum habentur. Simile in iudiciis syntheticis non contingit. Horum enim nonnulla circa singularia et individua obiecta versantur; atque non modo *universalitatem* non habent, sed ne induere possunt quidem: Huiusmodi sunt: *ego cogito*, *sol nunc orizontem illuminat*, quotque sunt alia, quae rem individuam, prout individua est, respiciunt. Cetera vero quae ita non sunt, et non *singularia*, sed *particularia* vocitantur, possunt quidem ad universalitatem attolli, at non sua vi, sed ratiocinationis indigent adiumento. Hoc idcirco est, quia iudicia synthetica seu experimentalia cum praedicatum habeant extra subiecti positum notionem, nequeunt generalia esse censeri, nisi inductio et repetitum experimentum accedat. Sic cum lapis aliquis non suffultus deorsum ruere primo conspicitur, non potest hoc continuo de omnibus certo asseri, sed necesse est experientiam de pluribus consectari. At quoniam fieri nequit, ut individua omnia, quae axiomate universali comprehenduntur, peri-

(1) Part. 2. Cap. 3. art. 1.
(2) Academ. 1.
(3) Tusculan. Qq. 1.

elitemur; nisi cum Wolfio perperam dicere velimus axiomata inductione fulta probabilia tantum esse, non certa: ad iudicium aliquod analyticum confugere oportet, ex quo, consentanea praeeunte experientia, ratiocinando inferatur, iudicium syntheticum, hactenus de pluribus individuis compertum, ad cetera etiam extendi. Etenim si effectus non superat causam, iudicii universalitas nunquam a singularibus, sed ab universali aliquo manare debet. Iamvero axioma istuc analyticum, quod pro universalitate iudiciis syntheticis impertienda ad experientiae subveniendum accitur, hoc esse videtur: *nihil est sine ratione sufficienti.* Hoc enim ratiocinatio, de qua loquebamur, post sufficiens experimentum innititur. Etenim postquam inductio talis instituta sit, ut eluxerit praedicatum illis individuis non fortuita aliqua conditione, aut propria singulorum qualitate (quae res pro individuorum varietate variantur), sed constanter omnibus convenisse: tunc vi axiomatis *nihil est sine ratione sufficienti* inferimus praedicati illius adesse oportere causam aliquam uniformem in omnibus, et communem. Quae cum alia esse non possit, nisi aut natura illis individuis insita, aut ordo a Deo constabilitus (quae duo pro ceteris etiam, de quibus experientia instituta non fuit, viget); hinc tuto deducitur praedicatum ceteris quoque individuis eadem natura praeditis, aut eodem contentis ordine tribuendum esse; atque ita axioma paritur universale.

3. Ex his resultat ut duo etiam genera principiorum constitui possint: alia, quae iudiciis analyticis constant, quaeque et ipsa analytica aut rationalia dici possunt; alia quae ex iudiciis syntheticis, inductione et ratiocinio opitulante gignuntur, quaeque synthetica quoque aut experimentalia rite audient. Quamobrem in summam ea, quae explanavimus, conferentes, haec stabilimus: duas esse iudiciorum immediatorum classes: unam analyticorum, alteram syntheticorum: primi generis iudicia per se esse scientiarum principia seu axiomata; at posteriora ad eiusmodi dignitatem non devenire, nisi congrua inductione vi principii *rationis sufficientis* ad universalitatem provehantur. Contra quam doctrinam triplex insurgit adversarius: Kantius qui, praeter iudicia nexu idearum fulta, aut experimento collecta tertium genus adstruit, *syntheticorum* nimirum *a priori*; Humius qui axiomatum experimentalium obiectivam certitudinem elevat; Beguelin, qui principii *rationis sufficientis* veritatem oppugnat. Hos itaque viritim dilucide refutemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Kantii iudicia synthetica a priori repudiantur.

4. Criticismi transcendentalis auctor Kantius nova obtrudit iudicia, quae *synthetica a priori* nominat, quibus veluti fundamento firmisque nexibus totus quantusque est, detestabilem suum idealismum superstruxit. Maxime igitur interest novam hanc et reper-

tam doctrinam ad calculum revocare, atque de medio pellere philosophiae. Quod ut ordinatius fiat, principio totam Kantii sententiam, et processum brevi exponamus. Hic itaque per criticam transcendentalem investigare, et definire praestituit (1) fontes, originem, ac limites rationis purae (seu quae experientiam praeit), et quidem per cognitionem transcendentalem, seu quae, non tam de obiectis, quam potius de cognoscendi modo nobis natura consentaneo, quatenus a priori procedit, occupatur. Id auspicatus, observat primo (2) iudiciorum mentis nostrae duo genera reperiri: alia quae subiecto tribuunt praedicatum in eius notione contentum, etsi latenter; alia quae praedicatum extra notionem subiecti positum, quamvis cum eo connexum, eidem copulant. Prima, utpote quae, notione subiecti explicanda ac veluti dividenda, praedicatum in ea latens inveniunt, appellantur *analytica*, quorum hoc profert exemplum: *corpora sunt extensa*; altera, quippe cum praedicatum non ex subiecti notione eruant, sed eidem veluti quid accedens adnectant, *synthetica* nominantur, ut si enuncies: *omne corpus est grave*. Iam omnia iudicia empirica, seu quae per experientiam colliguntur, *synthetica* appellat, sed *a posteriori* dumtaxat, cum ab experimentis pendeant. Praeter haec autem, alia in homine detegere sibi videtur iudicia, *synthetica* quidem, at non ex experientiae fonte hausta, sed per anticipationem in mente posita. Exempli instar profert enunciatum hoc: *quicquid fit, causam sui habeat opus est*. Quod effatum non esse analyticum inde probat, quod notio *eius quod fit*, seu *effectus*, conceptum causae non includat. Non esse vero syntheticum a posteriori, seu per experientiam habitum, propterea dicit, quia non modo cum universalitate, quae omnem excedat experientiam; verum etiam cum necessitate rem pronuntiat. Erit igitur tertii cuiusdam generis, ad quod quae pertinent, licebit ea *synthetica a priori* nuncupare. in quibus scopus omnis ac finis scientiae speculationis nostrae per anticipationem situs est. Sic suum systema contexit, nec, ad confirmandum, alias affert rationes, nisi quod deinceps (3) praecipuas scientias percurrens, alia promit exempla, quibus totidem iudicia *synthetica a priori* contineri existimat (4). Quae antequam singillatim referamus, operae pretium erit huius commenti absurditatem animad-

(1) Institut. VII. Crit:a. R.is P.ae version. Gottlob Born.
(2) Instit. IV.
(3) Instit. V.
(4) Theoriam hanc deprompsisse videtur Kantius ex Reid, eiusque Schola *instinctum* quemdam, ex quo iudicia sensus naturae communis fluerent, adstruente. Ea enim reapse iudicia quaedam essent caeca, universalia tamen et necessaria, quae neque experientia, neque ratiocinio, neque immediato idearum nexu perciperentur, sed ex fundo ipso emergerent rationis. Quae quidem opinatio, ut patet, a Kantiano systemate vix abludit. Quare mirari non parum soleo philosophos eos, qui iudicia Kantii synthetica a priori reiiciunt, sensumtamen naturae communis Reidiano ritu explicatum probant. (Recolantur ea quae diximus in Logica par. 2. c. 3. art. 3.).

vertere paucis, quae quidem ex ipsa humanae mentis natura facile poterint diiudicari. Mens enim cum cognoscendi vi contineatur; nequit profecto unquam assentiri obiecto, quod nec in se, nec in alio contuetur. Itemque, cum eius actus omnis obiectum cognitione attingens in perspiciendo sit positus, iudicium proferre non potest, nisi rem ita se habere acie sua percipiat. Quocirca, ubi non de fide auctoritati praestanda, sed de iudicio spectante ad scientiam agitur; necesse omnino est, ut ab aliquo motivo aut ratione obiectum afficiente ad assensum pertrahatur. Atqui in iudiciis hisce Kantianis nullum menti obversaretur motivum, nullaque obiectiva ratio, quae mentem ad assensum flecteret: siquidem nec evidenti idearum nexu, nec institutis experimentis, nec ratiocinatione legitima ea per Kautium niterentur. Itemque mens obiecto assentiretur, quod non videt, cum ipsum neque in experientiae regione lustrata, neque in mutua resolutione conceptuum, neque in ratiocinii deductione conspiceret. Essent igitur istiusmodi iudicia caeca prorsus, et ut ita dicam, irrationalia, quae ex fundo rationis contra ipsius rationis naturam manare conciperentur; quo nihil certe potest esse absurdius. Praeterea ex eiusdem Kantii verbis talis opinatio refelli posset: statuit enim mentem in eiusmodi syntheticis proferendis iudiciis, eorumdem absolutam necessitatem pronuntiare. At vero pronuntiatio mentis aliud non est quidquam, quam intuitio. Mens igitur necessitatem horum iudiciorum absolutam hoc ipso quod pronuntiat, contuetur. Sed iudicia quorum necessitas mente conspicitur, in analyticorum sunt numero. Ergo nisi Kantius secum ipse pugnare velit, fateatur oportet iudicia, quae *synthetica a priori* nominat modo hac gaudeant proprietate, cum analyticis convenire. Nec vero exemplum pronunciati illius: *quicquid fit causam sui habet*, Kantio quidquam suffragatur. Cordatus enim quisque perspicit iudicium eiusmodi in analyticis haberi; utpote, cum ad notionem praedicati subiecto tribuendam opus non sit conceptum subiecti egredi ac deserere. Et re quidem vera quid aliud sibi vult *eius quod fit* seu *effectus* notio, nisi quod realitas una antea non existens extare incipiat, atque (quod idem sonat) existentiam suam abalio natura saltem prius existente, mutuetur? Certe nequit quidpiam perfectione aliqua carens in ea augescere, quin ab alio eam habente recipiat; cum nihilum nihil det. Nisi carentiam realitatis realitatem ipsam, seu negationem illius rei quam negat positionem aequare posse, evidenti conceptuum pugna statuamus. Notio igitur effectus conceptum continet rei cuiusdam, quae ipsi existentiam largiatur. At id sonat conceptus causae. Ergo notio causae existentiam impertientis in notione eius quod fit implexa inest latensque, exque ipsius veluti resolutione dimanat.

6. Haec ad commentitiam Kantii, naturaeque repugnantem sententiam reiiciendam satis dicta essent. Attamen ut plenius refutetur, optimum factu erit exempla etiam, quae ex singulis promit scientiis, in examen adducere. Is igitur in primis asserit (1). Ma-

(1) Institutione V.

thesim puram in syntheticis a priori iudiciis versari totam: producitque exemplum pro Arithmetica enunciatum hoc: *summa e septenario et quinario conflata numero aequat duodecim*; quod quidem inquit non esse empiricum, quippe cum notitiam omnino necessariam contineat; non esse autem analyticum, quia numeri duodeni conceptus non ideo mente informatur, quod septenos quinosque simul iunctos colligatosque cogitamus, sed opus est huius summae conceptum deserere, ad externumque migrare visum, velut ad digitos quinos, aut puncta quina, cuius quinarii sic in visione propositi unitates singulas pedetentim septenario adiicientes duodenum sensim coalescere contueamur. Pro geometria vero profert enunciationem: *linea recta est brevissima omnium, quae inter duo data puncta duci possit*; quam non esse iudicium analyticum inde probat, quod e conceptu *recti* qui ad qualitatem pertinet elici nequeat notio brevitatis, quae spectat ad quantitatem. Proindeque etiam hic opus esse ait visione aliqua, quae rei conceptum iuvet. Deinde asserit Physicae etiam, ipsique Metaphysicae iudicia inesse synthetica a priori, exemplaque producit in physicis duo haec enunciata: *in omnibus mutationibus mundi corporei eadem manet materiae quantitas*, et: *in quovis motu communicando actio, et reactio est semper aequalis;* in Metaphysicis vero propositionem hanc: *mundus aliquando primordia coeperit necesse est.*

6. Verum enimvero, pace hominis peracuti, haec admodum futilia sunt, et non tam ad ratiocinandum, quam ad cavillandum excogitata. Ad primum enim quod attinet, summa illa: $7 + 5 = 12$ iudicium aperte complectitur analyticum. Patenter enim subiectum idem continet ac praedicatum, nempe unitatem bis et decies assumptam, etsi diversa relatione et expressione aut signo exhibitam. Quod ut evidentius pateat, sic cum De Gerando ratiocinabere: Certe si transmutentur situ termini illius aequationis fiatque $12 = 7 + 5$; iudicium manet idem, quemadmodum eadem manet aequatio. At manifeste in hoc casu, iuxta ipsius Kantii principia, iudicium eiusmodi erit analyticum; siquidem praedicatum ex subiecti notione eruitur, cum nil sit aliud, nisi subiectum ipsum in sua elementa resolutum. Ergo ante etiam, cum iisdem constaret terminis, situ tantum inverso, analyticum fuisse dicendum est. Nec hilum officit, quod interdum, praesertim in numeris maioribus supputandis, ad externa signa confugere opus sit, puta digitos vel scriptionem. Id enim non assumitur, ut ad pronunciati veritatem quidpiam conferat, sed ut memoriae subveniat, sistatque phantasiam. Agitur enim de ideis iis inter se comparandis, quae admodum complexae sunt, quaeque idcirco exigunt saepenumero in alias resolvi simpliciores, atque ne memoria labantur externis affigi signis. Quare id omne, quod hinc capitur adiumenti, non ipsum iudicium spectat, sed idearum conferendarum distinctam intelligentiam, ad quam statim ac mens pervenit, iudicium, propter evidentem nexum perspectum in illis, profertur illico. Idem fere dicendum de exemplo Geometrico: *linea recta est brevissima omnium quae inter duo da-*

ta puncta duci possunt. Propterea enim quis ad hoc percipiendum visione aliqua externa quandoque utitur (quod tamen per se non est necessarium), ut facilius qualitatem idearum mutuo conferendarum mente capiat; quae sensilibus repraesentationibus ad intelligendum iuvatur plurimum. At notio brevitatis maximae ex ipso lineae rectae conceptu evidenter elicitur. Cum enim linea recta, iuxta egregiam Euclidis definitionem, ea sit, quae aequaliter inter extrema puncta extenditur; quisque videt luculentissime eam breviorem esse qualibet alia, quae etsi eiusmodi non sit, iisdem tamen terminis contineatur. Illa enim tantundem spatii decurrit, quantum praecise inter data puncta intercipitur. At contra ceterae lineae, quae rectae non sunt, aut flexuosum pergunt iter, aut hinc vel inde subsultant, aut alia quavis ratione deflectunt. Quapropter maius spatium occupent, punctaque plura percurrant oportet, quam ea reapse sint, quae duo data interiacent. Quod autem Kantius adiungit non posse *brevitatem* ex notione *recti* deduci, propterea quia illa spectat ad quantitatem, haec vero ad qualitatem, sophisma est plane putum. Non enim ex conceptu *recti* sed *lineae rectae* praedicatum illud eruimus; linea autem recta quantitas est tali determinato modo affecta, quo ab aliis, quae rectae non sunt, distinguitur. Hic autem modus nec *quantitas* proprie, nec *qualitas* dici potest, sed quantitatis *differentia*. Nil autem vetat, imo necessarium est, ut diversa attributa ex diversis rebus in tantum emergant, in quantum hae differentiis sibi propriis determinantur. Cetera vero exempla, quae Kantius profert, haud moror; nimis enim elucet per sese ea non esse iudicia quaedam caeca ex ratione ipsa nescio quo pacto manantia (qualia esse oporteret, si synthetica a priori forent): sed aut experientia, aut immediata relatione idearum, aut ratiocinatione praeberi. Sic pronuntiatum illud: *in motu communicando actio et reactio sunt aequales*, ex inductione et experientia esse collectum vel leviter eruditi norunt. Decretum veri alterum: *mundus aliquando primordia coepit*, non in principiis, sed in illationibus ratiocinio deducendis contineri constat. Tertium denique: *in omni mutatione corporea eadem manet materiae quantitas*, ex ipsa mutationis notione, quatenus ab annihilatione distinguitur, derivari nemo non videt. Si enim in mutationibus corporeis, quae actione fiunt efficientium creatorum, nil uspiam in nihilum redigi potest (ad hoc enim virtus infinita requiritur); certe subiectum harum mutationum nempe materia numquam vi earum perire potest, nec aliqua sui parte ac quantitate destitui. Ergo Kantianum commentum non solum naturae rationis adversatur et repugnat; sed etiam omni aut probabili aut saltem apparenti privatur ratione; atque ideo ut male materiatum aedificium, nulloque stabili nitens fundamento, mole ipsa ruit sua.

ARTICULUS TERTIUS.

Humii doctrina reiicitur.

7. Si Kantius excedendo, Humius detrahendo nobis repugnat (1). Nam acerrimus hic scepticismi instaurator circa axiomata experimentalia quatenus ad similes effectus ex similibus causis expectandos se protendunt, concedit quidem internam in mente hominum persuasionem: at eorum fundamentum ex obiecto desumptum, seu obiectivam eorumdem certitudinem vehementer oppugnat. Ait enim, experientiam, qua istiusmodi nituntur veritates, quaeque iunctionem subiectum inter et attributum eorum aperit, vim nullam habere, nisi quoad illa individua, quorum factum est periculum. Ad alia vero, quae nondum experiendo comperta sunt, veritas pronuntiatorum experimentalium produci nequit, nisi tacite subaudiatur inter ea, quae eventura sunt, cum iis, quae iam praeteriere, similitudinem certam ac ratam haberi; atque adeo firmum ante animo capiatur effatum hoc: *transacto futurum erit consimile*, seu, quod eodem recidet, *consimiles effectus a consimilibus causis esse orituros*. Atqui id nullo fundamento firmatum esse asserit, cum neque immediata relatione idearum, neque experientia fulciatur. Illud quidem, quia nulla pugna conceptuum in eo inest, quod futurum transacto sit absimile. Quid enim transacti, aut futuri conceptibus repugnaret, si ea, quae post evenient, dissimilia sint iis, quae elapso iam tempore acciderunt? Non est autem similitudo istaec experimentis comperta, quia tunc oporteret *futurum* praesenti esse obnoxium experientiae; quod ita certe non est, quippe cum futurum nondum extet, de ipsoque vi effati illius ,, *futurum transacto simile erit*, iudicemus. Hinc sceptica solutione utens ex *more* et *consuetudine* internam illam animi persuasionem unice repetendam existimat (2). Haec ad summam Humii ratiocinatio est, qua axiomatum experimentalium ac ratiocinationum quae praemissa aliqua experimentali nituntur, firmitatem de medio conatur pellere.

8. Verum haec sceptici hominis in veritates ad vitam hominis alendam, tuendamque tam necessarias conamina, prudentiores acutioresque philosophi diligenter propulsare studuerunt. Thomas Reid, qui ad Humii scepticismum subruendum sensus communis adscivit adminiculum, iuxta ea, quae sectatur principia, fundamentum et robur similitudinis futurum inter et transactum comperire sibi visus est in caeco quodam naturae instinctu, quo vi quadam ineluctabili ad ita iudicandum incitaremur (3). Verum ex

(1) Essais Philosoph. sur l'entend. humain. t. I. Essai IV.
(2). Essai V. Premiere partie.
(3) Eius haec sunt verba ,, La constitution même de notre nature nous porte par instinct, à attribuer à toute l'espece, les qualités, que nous avons constaté dans les individus. C'est en vertu de cet instinct que nous savons si vite, que le feu brûle, que l'eau désaltère, que les corps tom-

iis, quae de sensu naturae communi in Logica, et quae superiore articulo contra Kantii *iudicia a priori synthetica* disputavimus, perlucet abunde defensionem hanc Reidianam probari non posse. Quamquam enim inest animo naturalis ad recte vereque iudicandum determinatio; huic tamen respondeat opus est ex parte obiecti fundamentum aliquod, et ratio, qua mens cognoscendo moveatur. Quamobrem iudicia istiusmodi caeca , et obiectivo destituta fundamento , commentitia sunt , et naturam ipsam rationis evertentia. Nec exemplum ab infantibus ductum evincit aliquid. Fatemur enim eos instinctu ferri ; at tunc non prout rationales sunt operantur, sed imaginatione dumtaxat impelluntur , et instinctiva quadam *associatione* idearum , quae etiam in brutis animantibus reperitur. Quaestio autem, quam tractamus , non in hoc versatur; sed fontem illum anquirit , ex quo rationalis persuasio animi , et certum mentis iudicium derivatur.

9. Galluppius vero (1), cui consentit Mancinus (2) , existimat similitudinem inter futurum , et praeteritum vi experientiae certam haberi , atque ideo effatum illud *futurum transacto simile erit* empirica constare veritate. Quam sententiam sic nititur persuadere : quoad longissime mens nostra respiciat spatium praeteriti temporis, et memoriam aetatis recordetur ultimam; haud dubium est , quin instantia singula , quae enumerantur , excepto primo , quoad hoc ipsum primum futuri habeant notionem. At in

bent , et que le pain nourrit. — Constitutio ipsa naturae nostrae instinctu quodam nos adducit ad tribuendas toti speciei qualitates , quas in individuis experti sumus. Vi instinctus huius nos citissime scimus ignem comburere , aquam refrigerare, corpora decidere, panem enutrire ,, Et clarius etiam sub eiusdem initium capitis ,, En voyant la nature , dans les differents régnes de ses productions , signaler une foule d' individus par des qualités extérieures communes , un instinct qui précède l' expérience nous porte à croire, que ces individus se ressemblent encore dans les qualités moins apparentes, que nous n'avons point observées. Ainsi l'enfant, à qu' il sera arrivé une seule fois de se brûler les doigts à la chandelle , craint le retour de la douleur, s' il approche de la flamme d' une autre chandelle, ou d' une flamme quelconque; il attribue par conséquent la propriété de brûler à toute espèce de flamme. Cette induction instinctive, qui ne procède point du raisonnement , et que le raisonnement ne justifie point , etc.—Dum naturam in diversis suarum productionum generibus easdem externas qualitates multitudini individuorum impartientem contuemur; certo ferimur instinctu, qui experientiam pracit, ad credendum individua illa similia etiam sibi fore quoad qualitates eas, quae minus apparent , quaeque nondum nobis compertae sunt. Sic infans , cui semel incidit digitum lucerna comburi , timet ne dolor redeat, si lucernae alteri , aut flammae cuivis iterum manum admovet; et, quod consequens est, is vim comburendi toti speciei flammarum tribuit. Inductio istaec , quae ex ratiocinatione non proficiscitur , quamque ratam non facit ratiocinatio etc... (Oeuvres Complèt. t. 4. Essais sur les facult. de l'esprit hum. Ess. V. chap. IV. Trad: par Jouffroy).

(1) Lezioni di Logica e Met. Tom. 1. Lez. 32.

(2) Logica Speciale Cap. 4. §. 475.

continnata ciusmodi serie quisque certe constanter consimiles effectus a similibus inter se causis iugiter exoriri expertus est. Itemque naturae cursus semper sibi consentiens mansisse constanter apparuit. Similitudo igitur futurum inter et transactum experimento fuit obnoxia. Veritas itaque experimentalis dicenda est, totaque Humii ruit ratiocinatio. Haec quidem meliora censenda sunt; at ni fallor, non omnino satisfaciunt. Nam etsi probant futurum transacto fuisse consimile; utrum tamen deinceps similitudinem hanc retinere pergat, id reapse non probat. Reponere autem posset Humius (ut revera solutionem illam quasi praesentiens reponere videtur (1)) se non de quolibet futuro loqui, sed praecise de iis, quae nondum advenere, et respectu praesentis temporis futura sunt. Quod certe attingi non potuit experimento.

10. Quae cum ita sint, ad Humii solvendam cavillationem, viam aliam ineundam iudico, qua nervosius fortasse, et luculentius principiorum experimentalium veritas roborabitur. Existimo igitur similitudinem futurum inter et praeteritum ratam haberi eo quod nitatur alterutro ex duobus his iudiciis analyticis, quibus continetur, seu potius aequivalet. Unum est: *causa necessaria positis requisitis ad agendum (ni Deus impediat) necessario agit*; alterum vero: *leges, quibus mundus sapienter administratur, naturali ordine, debent esse constantes.* Haec duo iudicia esse analytica evidenter apparet. Nam causa necessaria in sui notione ordinem necessarium ad effectum involvit; proindeque, nisi a Deo concursum suspendente praepediatur, effectum certo gignet: idque ex eiusdem conceptu emergit. Leges autem sapientis administrationis universi exigunt, ut sapientia conditoris eluceat in opere; atque idcirco ordo non debet esse praeposterus aut vagus, sed fixus et permanens, ac ciusmodi, ut stabilis et certa homini norma exinde suppeditetur ad operationes suas rite moderandas. Id vero omne constantiam harum legum iure postulat; secus perturbatis rerum ordinibus confusio, horror, temeritas dominaretur; nec divinae sapientiae, ac bonitatis imaginem, sed caecum casum potius, insanientemque fortunam rerum compages repraesentaret. (2) Quod autem his iudiciis similitudo, qua de agitur, fulciatur, facile intelligitur. Nam futurum, quod simile transacto praedicitur, vel situm est in effectibus, qui a consimilibus causis necessario agentibus (3) expectantur, ut: *aqua etiam posthac sitim restinguet*;

(1) Essai IV. Seconde partie pag. 107. Édit. Amsterdam an. 1758.

(2) Adverte hanc legum perseverantem constantiam, quam exquirimus, intelligi de cursu naturali, et ordinario rerum creatarum; quod profecto exceptionem in nonnullis casibus peculiaribus et extra ordinem lubenter admittit; idque divinam sapientiam non debilitat, sed commendat magis. Permagnae enim sapientiae est propter altiorem finem praepedire quandoque, vel etiam ad tempus invertere consuetum naturae cursum, quin ulla rerum perturbatio consequatur.

(3) Hoc dicimus, quia si causae sunt libertate fruentes, illo non continentur effato: *futurum erit simile praeterito.* Hae enim propter vim li-

vel in permansione constanti alicuius ordinis, quo mundi machina gubernatur, ut: *cras iterum orietur sol*; vel: *lapides non suffulti decident*. Iam vero si de primo genere sermo est, iudicium eiusmodi mihi persuadeo sic efformari: Postquam iterata experientia compertum est aliquem effectum ex determinata causa progigni constanter, continuo mens iudicat illum neque ex fortuitis rei adiunctis, quae iugiter variantur, neque ex individuis differentiis, quae pro singulorum varietate in singulis diversae sunt, posse procedere. Effectus enim constans, perpetuus, idem causam exigit, quae item constans sit, perpetua, eadem; secus daretur effectus maior causa. Ergo causa horum effectuum necessaria in ipsa erit natura, quae individuis omnibus communis est. Cum igitur eiusdem naturae individua obversantur (quae externis qualitatibus facile dignosci poterunt), similis erit expectandus effectus: siquidem effectus non a libertate, sed a natura procedens causam habet necessariam; causa autem necessaria (ni Deus impediat) necessario agit. Sin vero quaestio erit de altero phaenomenorum genere, quod diximus, sic in eo mens ratiocinari videtur: Iugis experientia hactenus docuit lunam constanter confectos iterare cursus, vel lapides deorsum tendere. Est ergo haec lex quaedam pro rerum ordine a Deo constabilita. Sed leges, quibus mundus a Deo sapienter administratur, naturali cursu sunt stabiles. Ergo, nisi Deus in casu particulari praeter ordinem operari velit, luna statis temporibus posthac pariter orietur; lapides, qui nondum explorati sunt, deorsum etiam tendent; seu, aliis verbis, futurum in hoc simile erit transacto. Idem dicatur de reliquis.

11. Ex indagine, quam confecimus, clare consequitur, quod sedulo observandum est, iudicium illud; *futurum simile erit transacto* aliter niti duobus principiis, quae supra dixi, si in *abstracto* spectetur, et aliter si consideretur in *concreto*, *prout* nimirum rebus singulis, quae physicam naturam conflant, applicatur. In abstracto enim independens omnino est ab experientia, et per ratiocinium *purum*, ut aiunt, ex illis derivatur. Cum enim generatim asseritur debere in natura futurum assimilari transacto, nullas praemissas experimentales assumimus, sed mere rationales, dicentes ex. gr. administratio mundi sapiens esse debet; atqui sapientia exigit ordinem et constantiam; ergo leges, quibus mundus sapienter administratur, debent esse constantes; ergo futurum, quod in permansione ordinis consistit, transacto respondeat opus est. Aut similiter: causa necessaria necessarium ordinem habet ad effectum; ergo si haec cursum suae naturae sequi permittitur, effectum, conditionibus positis, certo progignet; ergo futurum, quod in effectibus a necessariis causis oriundis positum est, transacto secundum ordinarium naturae cursum assimilabitur. Quapropter ef-

beram pro lubito se determinant; atque ideo sub iisdem rerum adiunctis possunt contraria operari, quaemadmodum fuse in Psychologia disputabitur.

fatum istuc absolute, et in abstracto prolatum rationale est prorsus, et certitudinis metaphysicae. Verum non ita est, cum sumitur in concreto, prout peculiares rerum involvit ordines, ut si ex. gr. dicas: *dies in posterum erunt eiusdem durationis; quaelibet aqua refrigerabit*; atque alia generis eiusdem. Tunc enim in applicatione ipsa pendet ab experientia, quae per iteratam observationem nos docuit rem illam, ex. gr. aquam, esse causam necessariam refrigerii; mensuram diei non esse fortuitum aliquod, sed ob animadversam constantiam in ordine, quo Deus mundum administrat, contineri etc: quemadmodum ex iis, quae paragrapho superiore exposuimus, luculenter patet. Quare propter hoc, dum in applicatione effatum illud sumitur, non in iudiciorum analyticorum, sed in axiomatum experimentalium habendum est numero, et physicam non excedit certitudinem. Praesertim adiuncto etiam, quod sic in concreto. Deo extra ordinem patrante prodigium, exceptionem pati possit. Hoc tamen certitudinem axiomatibus physicis consentaneam non infirmat, sed possibilitatem miraculorum ostendit.

Hinc nullo negotio Humii evertitur cavillatio. Ut enim ostensum est, reponimus pronunciatum, quod obiicit *futurum simile erit transacto*, generatim et in abstracto propositum veritatem esse necessariam; in applicatione vero et concrete sumptum axioma esse experimentale, quod, non ut aliae singulares contingentes veritates, sola experientia colligi debet, sed inductione nixa ratiocinio. Quod ratiocinium etsi ad universalitatem hisce axiomatibus utcumque impertiendam iuvatur adminiculo principii *rationis sufficientis* (1): tamen quoad eam partem, quae similitudinem futuri cum transacto respicit, duobus illis iudiciis analyticis innititur: *causa necessaria, positis requisitis, ni Deus impediat, necessario agit*; et: *leges, quibus mundus sapienter administratur, naturali ordine, sunt constantes* (2).

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum extet aliquod principium primum, in quod ceterae veritates necessariae reducantur?

12. Asseruit Leibnitius (3) ratiocinia duobus veluti magnis superstrui principiis, quorum unum sit effatum, quod contradictionis appellant: *non potest idem simul esse, et non esse;* alterum vero pronuntiatum rationis sufficientis: *nihil est sine ratione sufficienti*. Primo docuit inniti veritates necessarias; posterius autem adesse in veritatibus contingentibus. Haec Leibnitiana doctrina non distincta satis est, et quoad secundam potissimum partem, nisi in

(1) Vide quae diximus art. 1. huius capitis §. 3.
(2) Recole quae hic explicavimus §. 10.
(3) Theses in gratiam Prin. Eugenii §. 31. et seq. Operum T. 2. Ed. Genev.

bonum sensum torqueatur, subabsurda etiam fortasse videri potest. Quare accuratius aliquanto eam expendamus; idque quo diligentius fiat, superiorem partem praesenti articulo, posteriorem vero sequenti examinemus. Atque ut in primis rei aspectus suo prope in lumine collocetur; adverto sedulo non perinde primum unum anquiri posse principium, quasi ipsum tantum notum sit propter se, cetera autem omnia ex eo postulent demonstrari. Id enim aperte repugnat, non modo quia iudicia analytica immediata, ut menti pateant, ratiocinatione non egent, sed illico, intellectis terminis, percipiuntur sponte sua; sed etiam quia, ut monuimus alias, institui non potest ratiocinatio, quin antea non pauca in certorum et evidentium numero habeantur. Saltem enim iudicia duo, quae in ratiocinando praemissarum munere funguntur, atque principia illa, quibus vim inferendi nixam in Logica ostendimus, ante ratiocinium quodvis capi debent. Deinceps addendum est, non ita anquiri hoc principium, ut sit aliquid, in quod cetera directe reducantur; perinde ac, etsi non necessitate, tamen declarandi gratia, reliqua principia postquam analysi sint in ipsum resoluta, mox per synthesim ratiocinatione directa ex eodem deduci possint. Istiusmodi enim principium nullum afferri potest, et quamquam nonnulli rentur effato hoc contineri: *omne quod est*, *est*; tamen iudicium istud tavtologicum prorsus esse ostendimus alias (1), et ratiocinium non aliud exhiberet, nisi in quo illatio eadem enunciatione constaret, qua minor propositio; ut si ex. gr. diceretur: *omne quod est*, *est*; *atqui tu es*; *ergo es*. Qua ratiocinatione haud scio, an possit aliquid putidius et ineptius excogitari. Verus igitur sensus, quo primum aliquod principium vestigatur, is unice esse videtur, ut certum statuatur iudicium, quod ceteris omnibus veluti implicitum sit, et generalem quasi legem exprimat, qua mens ad assensum in iudicando rapiatur: atque ideo sit tale, ut non ad demonstrandum, sed ad declarandum dumtaxat, et ratiocinatione *indirecta*, seu *ad absurdum*, ut aiunt, apud pertinaces homines ipsam veritatem reliquorum principiorum valeat illustrare, modo hi concedant aliquid.

13. Quaestione igitur sic explanata, et veluti in luce posita, asserimus principium eiusmodi pervulgato contineri contradictionis effato: *nequit idem simul esse, et non esse*. Etenim in iudiciis analyticis, etiamsi immediate pateant, mens idcirco assensum praestat, quia identitatem rei, nexumque necessarium inter eorumdem subiectum, et attributum evidenter perspicit, atque ita, ut contrarium suspicari, suaque acie complecti nequeat. Id autem propterea non potest, quia secus deberet idem concipere, et non concipere, affirmare, et non affirmare; quod, quia nequit idem simul esse, et non esse, idcirco repugnat. At hoc ipsum enuntiat contradictionis effatum, quemadmodum ex terminis ipsis, quibus constat, perspicuum est. Ergo principium istud generalem legem

(1) Log. Part. 2. cap. 2. art. 3.

repraesentat, ac motivum, quo iudicia quaevis analytica, utut immediata, ad se mentis rapiunt, et torquent assensum. Quapropter eius veritas talis est, út mens ab ea in eiusmodi proferendis iudiciis, latenter et implicite moveatur. Quod certe alia principia sibi non vindicant, quemadmodum numeratione singulorum facile animadverti potest, sic ex: gr: quod *duo dimidia* aequent *totum*, id profecto ne implicita quidem ratio est, cur mens reliquis iudiciis assentiatur; ac proinde enuntiatum istuc formulam generalem non exprimit, qua mens in veritatibus necessariis contuendis adstringitur. Idem de reliquis dici debet. Ex qua *principii contradictionis* praerogativa illud etiam emergit, quod veluti lydius lapis sit ad analytica iudicia internoscenda idoneus. Ea enim in hoc numero haberi debent, quae nisi vera essent, idem simul, quod adstruitur, destrueretur. Praeterea principium contradictionis, ut dixi, illud est, quo cetera iudicia quaevis demonstratione indirecta queant collustrari. Nam eiusmodi munus illi effato tribui debet, quod impossibilitatem enuntiat universalis, clarissimi, et maximi absurdi. Demonstratio enim indirecta ea dicitur, (1) qua certum aliquid idcirco probatur, quia secus absurdum aliquod consequeretur. Quapropter haud sistit, donec ventum sit ad absurdum eiusmodi, quo maius, et universalius inveniri non possit, quodque nulla ratione mens queat informare. Haec autem principio contradictionis convenire nemo non videt. Nil enim certe universalius, aut patentius, aut maius absurdum inferri potest, quam *idem simul esse, et non esse*; quod si semel poneretur, nil amplius constaret in scientia, seque ipsa destrueret intelligentia. Quamobrem cum quis adeo procax et temerarius invenitur, ut iudicium aliquod necessarium, et per se notum in dubium revocet; eum convincendi nulla alia suppetit ratio, quam ut ipsum ad principium etiam contradictionis inficiandum adigas; quemadmodum nobis contra Beguelin in sequenti articulo faciendum erit.

14. At enim contra constabilitam veritatem sic I. obiiciet fortasse quispiam: effatum contradictionis est *negativum*, et *modale*. Ergo non est primum in genere principiorum. Pr. Ant. Iudicium negativum posterius est positivo, siquidem negatio in affirmatione fundatur: itemque modalis propositio praeceditur a simplici. Ergo principium negativum, et modale primum esse non potest.

Resp. *Transeat Ant.* Et *nego Cons.* Ad probat. *Dist. Ant.* Iudicium negativum, et modale posterius est positivo, et simplici in ratione propositionis, aut etiam, si lubet, ordine productionis, *trans.* in ratione veritatis per se notae, aut etiam ordine naturae, et dependentiae, *nego.* In primis non omnino verum est principium contradictionis in negantibus haberi. Ita enim negatione constat, ut constet etiam positione. Docet enim ea, quae sunt, ita esse, ut simul non esse non possint; seu quicquid est, ita concipi oportere, ut simul nequeat non concipi; idque reapse ad positivam entis per-

(1) Log. 2. par. cap. 2. art. 4°.

fectionem pertinet. Verum, ne moremur in hoc, largimur, si velit, adversario contradictionis pronuntiatum iudicio non solum modali, sed etiam negante conflari. At quid inde consequitur? Num per hoc veritas a nobis sancita nutabit? nil minus. Ex eo enim, quod iudicium negans sit, et modale, sequitur dumtaxat, ipsum quoad proferendi modum, vel etiam, si lubet, quoad productionem in nobis et genesim idearum esse posterius: non vero quoad naturam ipsam veritatis obiective spectatam, aut quoad dependentiam mutuam. Sed hoc aliunde diiudicandum erit. Quin etiam plerumque incidit, ut id, quod prius in cognitione nostra progignitur, sit quoad naturam, et dependentiam posterius. Sic prius attingimus effectus, deinde causas; prius qualitates, deinceps essentias: et tamen haec, ut perspicuum est, natura sua et dignitate antecellunt. Nec vero obest, quod negatio affirmatione nititur; siquidem principium contradictionis revera in positiva cognitione fundatur, nimirum in perceptione entis, cuius indolis est, ut, dum sit, sibi repugnet non esse; atque id ipsum per effatum contradictionis pronuntiatur.

Obiic. II. Principium contradictionis praesupponit evidentiam, seu hoc iudicium: *quicquid continetur in idea clara, et distincta verum est.* Ergo non est omnium primum.

Resp. *Dist. Ant.* Praesupponit evidentiam tamquam characterem et proprietatem quodlibet iudicium verum concomitantem, *conc.* tamquam principium, ex quo ratiocinando inferatur, *nego*, Etsi principium contradictionis hoc ipso, quod verum est et notum sponte sua, evidentiam, et quidem quae maxima sit, postulet: tamen non infertur instar illationis ex ea perspicuitate, qua fulget. Sed assensum rapit immediate propter nexum praedicatum inter subiectumque intercedentem. Et sane quomodo ex evidentia inferri posset, si principio contradictionis non ante capto, ipsa evidentia corrueret, quae posset certe simul vera esse evidentia; et non vera, nisi implicite saltem mens contradictionis effato firmiter adhaereret? Sed iam haec obiectio Cartesianorum obsoleta est, et vix in praesenti curatur.

Obiic. III. Nisi verum esset in principio contradictionis praedicatum unum idemque esse cum subiecto; mens ipsi neutiquam assentiretur. Ergo principium *contradictionis* praevium habet principium *identitatis*, videlicet: *omne quod est*, *est*; seu $A = A$.

Resp. *Dist. Ant.* Et haec identitas est conditio quodlibet iudicium necessarium afficiens, *conc.* est principium, ex quo saltem implicite mens principium derivat contradictionis, *nego*. Videre acie mentis attributum aliquod convenire subiecto, atque hoc ipsum affirmare idem est. Proinde mens principio contradictionis assentiens non innititur visione identitatis terminorum tanquam praemissa, ex qua illius principii certam eruat cognitionem. Quapropter identitas terminorum, atque horum necessarius nexus est conditio in obiecto iudiciorum analyticorum requisita, non vero constituit effatum, ex quo ratiocinando aliorum veritas inferatur. Atque hoc ideo magis est certum, quod istiusmodi effatum identitatis utpote

nugatorium, et ad inferendum nil valiturum, ut alias diximus, in numero principiorum haberi non debet. Imo etiam si habendum esset, semper tamen veritatem principii contradictionis supponeret, qua vacillante, ipsum quoque corruere oporteret.

ARTICULUS QUINTUS.

Quid sentiendum sit de principio rationis sufficientis.

15. Hactenus de pugnantium seu contradictionis effato, nunc de principio rationis sufficientis dicendum est. Opinatus est Wolfius (1) a Leibnitio primum in scientias principium hoc invectum, atque ad ideas collustrandas, demonstrandasque propositiones fuisse accomodatum. Sed ut liquido fatear, id, quod Leibnitio, atque asseclis iure tribuitur, est huius principii in libertate labefactanda abusus, eiusdem vero usus, distinctaque notitia aeque ac ipsa philosophia vetus est atque trita; ita ut vel Plato illud in Timaeo meminerit, inquiens: *omne quod fit a ratione aliqua fiat necesse est: prorsus enim impossibile est, ut aliquid sine ratione fiat.* Quibus verbis, ut patens est, rationis sufficientis principium luculentissime pronunciavit.

16. Iam ut a rationis sufficientis definitione exordiar, eius nomine significamus: *id unde est, ut aliquid sit potius, quam non sit.* Ex quo facile est ad iudicandum rationis sufficientis notionem non esse cum conceptu causae confundendam; quod scite quidem Wolfius, sed multo ante animadverterat D. Thomas docens (2) divinae voluntatis posse rationem non vero causam assignari; idque ex iis, quae de causis disseremus, perspicuum erit. Quamquam enim quod causae notionem habet, idem continuo ratio etiam est sufficiens: haud tamen vicissim quicquid ratio sufficiens esse convincitur, idem notionem causae habere oportet. Siquidem nomine causae ea ratio, idque principium usurpatur, quod rei a se distinctae existentiam elargitur. Ceterum saepenumero latiori sensu utrumque confunditur, *rationisque sufficientis effatum* pro eodem accipitur ac *nihil est sine causa*, quod principium causalitatis nominant.

17. Leibnitianam doctrinam, quam initio superioris articuli commemoravimus, late admodum sequutus Storchenavius, arbitratus est (3) cum aliis veritates contingentes principio rationis sufficientis fundari, in ipsumque omnes resolvi; imo, si analysis vertatur in synthesim ex eo posse illas ratiocinando deduci. At longe ab eiusmodi opinatione discedimus (4). Quamquam enim verum sit veritatem contingentem (ex. gr. mundus existit) sem-

(1) Ont. p. 1. sec. 1. c. 2. §. 71.
(2) Lib. 1. Contra Gentes c. 87.
(3) Ont. sec. 1. c. 2. §. 23. et seq:
(4) Vid. de hac re Galluppius Lez. di Log. e Met. l. 1. lez. 35. et Mancinus Log. Speciale c. 1. §. 331, e seg.

per circa obiecta versari, quae utpote contingentia, rationem aliquam cur existant postulent necessario, atque ad hanc ex ipsis inferendam principio rationis sufficientis nos adduci (optime enim ratiocinamur mundus existit; ergo illius existentiae aliqua ratio sufficiens dari debet); tamen falsissimum est nos vel implicite ab hoc principio moveri ad assensum veritatibus contingentibus, quas unice experientia suppeditat, adhibendum. Sed ratio vera et fundamentum, quo in hoc nitimur, in experientia ipsa sive interna sive externa positum est. Et sane si quaererem abs te cur te nunc existere sis certus, aut quare nunc diem esse non dubites; haud certe reponeres: quia cum nihil sit sine ratione sufficienti, idcirco te ad duo illa obiecta pro certis habenda incitari, sed reponeres te propterea certiorem esse, quia primum evidens conscientiae relatio tibi exhibet, alterum perspicuum sensus refert testimonium. Experientia igitur est harum veritatum auctrix et suada; atque in hanc illae duntaxat resolvuntur. Nec vero huic positioni officit, quod res contingentes nexum quemdam cum sui ratione sufficienti aliqua habeant necesse sit. Id enim omne rerum earumdem existentiam respicit, non cognitionem, quam nos acquirimus, qui rerum contingentium notitiam non a priori et ex causa, sed a posteriori et ex facti ipsius intuitione consequimur. Nihilominus respectu non quarumlibet veritatum contingentium, quae unice experimento nituntur, sed quoad axiomata experimentalia, quae ad sui universalem veritatem, praeter experientiam, ratiocinationem aliquam, qua fulciantur, exquirunt, aliquid sibi vindicat principium rationis sufficientis, quatenus illud est, quo ratiocinatio eiusmodi ad universalitatem iudiciis illis impertiendam innititur. Quod quia satis in primo articulo huius capitis explicatum est, fusius hic non postulat disputari. Atque, si in hoc sensu Leibnitiana theoria benigna admodum interpretatione leniatur, admittenda plane erit.

18. Venio nunc ad gravissimam disputationem contra Beguelin, qui eo dementiae est transgressus, ut vim principii rationis sufficientis labefactare tentarit, ad constabiliendam, saltem ut possibilem, hypotesim eventus vel casus (*du hasard*, *ut inquit*) quem ita definit, ut nomine *casus* existentiam intelligat quae fiat sine causa, et nomine *causae* id, quod rationem sufficientem existentiae cuiusdam, aut mutationis faciendae contineat (1). Ex quibus sicuti ex continenti tractationis contextu elucet a Beguelino effatum hoc impugnari prout idem sonat ac *omne quod fit sui causam habet*; quod observatum volumus, ut perspicua magis sit refutatio; quae veluti bifariam erit dispertita; primum enim veritatem illius tuebimur pronunciati, deinde Beguelini argutias dissolvemus.

Et ad primum quidem quod attinet, res adeo in promptu posita est ac explorato, ut nonnisi hominis pervicacissimi teme-

(1) Videatur contra ipsum egregia Gerdilii dissertatio cui titulus: Reflexions sur un mémoire de M. Beguelin concer. le princ. de la rais n suffis. etc. tom. 4. Operum.

ritas ad disputandum nos adigat. Enimvero quis tam suae rationis est impos, ut, explicatis perceptisque illius effati terminis, se ad subdubitandum induci assensuque prohiberi sorio dictitet ? Opinabitur igitur quispiam sanae mentis homo corpus ad quietem motumve inertiae lege indifferens sine impellente moveri ; aërem absque luce illuminari posse; segetes sine semine enasci ; arcam, quam domi servat, si omni viduetur pecunia, mox, nulla iniiciente manu , ingenti auri vi impletum iri ? Delirantis sunt haec insomnia , quae quamquam per iocum ore proferri possunt, mente tamen nequeunt informari. Principium enim « *nihil est sine ratione sufficienti* » vel « *omne quod fit sui causam habet* » in analyticis est ; ac propterea praedicatum ita cum subiecto complexum habet atque iunctum , ut si ipsum inde sustuleris, subiecti simul notionem per mi et evanescere necesse sit. Qua de re videri possunt ea, quae superiore articulo contra Kantium disputavimus : satis enim ibi , ut arbitror , declaratum est exigentiam causae ipso rei , quae fit, seu quae contingens est, conceptu analysi quadam ac veluti resolutione idearum evolvi. Quandoquidem res, quae fit, seu quae a statu possibilitatis ad statum graditur existentiae , notionem exhibet rei, quae aliquid recipit, nimirum existentiam, quae certe merae possibilitati quidpiam aliud superaddit; plus enim certe est actu extare , quam possibile esse duntaxat. At profecto id conceptum etiam exhibet realitatis cuiusdam , quae existentiam hanc clargitur ; nihil enim , cum nihil habeat , nihil dat. Age nunc realitas existentiam alteri elargiens causa illius est seu ratio sufficiens. Ergo causae existentia et necessitas quoad rem , quae extaro incipit seu quae fit, ex huius emergit notione. Quae ratiocinatio, seu melius conceptuum explicatio, dum effatum, quo de agitur , in analyticorum probat haberi numero, Beguelini simul absurditatem elidit , cum pronunciati illius non modo veritatem, sed absolutam etiam necessitatem ostendat. Quocirca id ad rem nostram abunde sufficeret. Tamen ad pervicaciam hominis retundendam magis , optimum erit veritatem principii rationis sufficientis ex ipso contradictionis effato deducere , cuius vim inconcussam Beguelinus ipse fatetur ; atque propterea axiomata Matheseos in indubiis habet , quia ex illo derivantur , aliudquo sint nihil quam ipsum contradictionis principium diversis exhibitum terminis et peculiaribus entis conditionibus accomodatum. Quae omnia si in illis vera sunt , procul dubio pro nostro etiam effato vim habent. Etenim si aliquid sino ratione sufficienti fieret , seu si aliqua contingens existentia sine causa , a qua procederet, extare posset; certe res istiusmodi aut a sui *possibilitate* existentiam mutuaretur aut a *nihilo*. Utrumque autem contradictionis principium diruit , et apertam sibi implicat repugnantiam. Principio enim si a sui possibilitate effectus ille reciperet existentiam (quod auctor videtur intendere inquiens existentiam ut sit non egere nisi interna possibilitate duntaxat) ; tunc praeterquam quod omnia possibilia hoc ipso extarent (haberent enim quod ad existendum suffi-

cit) : in apertam insuper conceptuum pugnam delaberemur. Nam existentia plus quiddam est quam nuda possibilitas , eique determinationem actumve existendi applicat et adiungit. Ergo si ad existendum sufficeret possibilitas , *minus* sufficeret ad costituendum *plus*. Quod ipse Beguelinus contradictorium agnoscit; loquens enim de principio « *totum qualibet sui parte est minus* » pronunciatum hoc ex contradictionis effato derivat, eo quod huic propositioni aequivalet : *plus nequit esse minus*. At certe mirum est , id ipsum pro rationis sufficientis effato non contueri ; in quo evidenter si possibilitas, quae, ut diximus, minor est quam existentia , ad hanc sufficeret , *minus* sufficeret ad *maius* : proinde idem esset simul *minus* et *maius*, seu *minus* et *non minus*, qui conceptus mutuo sunt pugnantes. Eadem deinde fiat ratiocinatio , si adstruitur existentiam eiusmodi suppeditari a *nihilo*. Nam *nihilum*, cum non sit aliquid, certe minus est quam existentia, quae, quicquid sit , profecto est aliquid. Praeterea si nemo dat quod non habet, *nihilum*, utpote omni realitate privatum, nequit certe hanc impertiri ; nisi pugnantibus ideis statui velit illam a *nihilo* haberi simul dum non habetur. Nec stulte dicatur existentia ipsamet se producere. Nam cum actio sequatur existentiam , haec ut se produceret deberet esse antequam est, ac proinde esse simul et non esse.

19. Sed quibus argutiis Beguelinus deliramentum illud tutetur videamus. Primum itaque sic occurrit: In effato rationis sufficientis fit transitus ad existentiam *realem* , cuius notio est valde obscura ; contra in principio contradictionis *idealis* duntaxat existentia respicitur. Ergo hoc ut absolute certum haberi potest , non illud.

Resp. *Dist.* primam partem Antecedentis: in effato rationis sufficientis fit transitus ad existentiam *realem* , hoc est eius veritas pendet ab aliqua reali existentia , ex cuius experientia colligitur , ut est de axiomatibus experimentalibus, *neg.* hoc est enuntiat generatim et *abstracte* nexum necessarium inter existentiam entis contingentis et eius causam ita ut ex reali sed hypothetica illius existentia , inferri possit realis existentia suae causae , *conc. Transmitto* aliam partem *Ant.* et *nego* tum consequens , tum rationem additam. Si principium « *nihil fit sine ratione sufficienti* » logice resolvatur, huic aequivalet « *omne quod fit est habens rationem sui sufficientem* nempe *causam* ». Quare nil aliud facit , nisi enuntiare necessarium nexum seu identitatem inter duas ideas abstractas, ideam nimirum entis contingentis et ideam exigentiae rationis cuiusdam sufficientis. Quocirca est principium reapse analyticum et a priori , eodem ferme modo ac principium contradictionis. Nec contra obstat, quod ex ipso, posita reali existentia entis contingentis, inferatur realis existentia suae causae. Nam hoc valet etiam pro contradictionis effato ; ex quo similiter , posito quod aliquid *realiter* extet , deducitur etiam *realiter* non posse non esse. Transmisi autem alteram partem Antecedentis , quia si hoc sensu in-

telligatur principium contradictionis respicere idealem existentiam, quatenus hanc respicit *abstracte* et *independenter*, quoad suam veritatem, ab actuali existendi exercitio rerum creatarum, vera est propositio: sed locum habet etiam pro principio rationis sufficientis. Etsi enim nil creatum existeret, semper tamen verum esset hoc axioma « *nihil fit vel fieri potest sine ratione sufficienti*. Sin autem quis sic antecedens illud interpretetur, ut existimet contradictionis effatum veritatem suam non de existentia obiectiva, sed de idea ipsius duntaxat pronuntiare, falsa est propositio. In cognitionibus enim directis non percipimus ipsas ideas, sed obiecta idearum. Proinde, ut scite observat Gerdilius, respectus, qui sunt inter ea, quae mens concipit, sunt etiam inter res ipsas; mens enim, dum cognoscit, respectus eiusmodi non creat sed detegit. Denique falsissima est ratio illa addita, quae aiebat notionem existentiae realis esse valde obscuram. Id enim pro sceptico fortasse verum erit, sed non pro homine sano, qui percipit profecto nil esse magis evidens ac clarum quam notionem existentiae realis; quae, ut in capite proxime consequuturo explicabimus, ceteris omnibus rerum conceptibus definiendis ac declarandis inservit; quod nonnisi in notionem clarissimam cadere potest. Ceterum, ut obscura sit haec notio, certe in ea clare perspicitur aliquid superaddi nudae possibilitati, atque ideo aliquid necessario exigi quod huius rei sit causa. Atque id duntaxat effatum illud pronuntiat.

Obiic. II. In demonstrando principio rationis sufficientis, circulus vitiosus offenditur. Etenim demonstrare aliquid, idem est ac eius rationem proferre sufficientem. Ergo, qui illius effati demonstrationem aggreditur, eiusdem rationem sufficientem adesse subaudit. Supponit igitur id ipsum, quod est probandum.

Resp. Antequam ad solutionem proxime veniam, duo adverto. In primis enim principium rationis sufficientis cum sit axioma, ut dixi, per se notum, demonstratione non indiget. Deinde Beguelinus argutia illa, qua utitur, vel secum ipse pugnat, vel nimis probat, et viam ad scepticismum sternit. Nam, si demonstratio omnis principio rationis sufficientis, ut vult, innititur; profecto principium eiusmodi aut inconcussum habendum est, aut omnis demonstratio corruit. Ergo vel Beguelinus sibi ipse non est consentiens, vel e medio demonstrationem omnem tollit. His obiter dictis, respondeo directe *negando 1.*^m *Ant.* Ad *prob.*^m vero *dist.* demonstrare aliquid idem est ac eius rationem proferre sufficientem, hanc semper inferendo ex hoc principio « *nihil fit sine ratione sufficienti* » *nego*; hanc inferendo ex alio quovis principio, quod licet in se sit ratio sufficiens cognitionis certae illationis, tamen, antequam illatio deducatur, non cognoscitur ut tale nec innititur effato « *nihil est sine ratione sufficienti* » *conc.* Et *neg. conseq.* Ut sapienter advertit Gerdil. opere citato, tunc circulus vitiosus incurritur, cum ad aliquam illationem deducendam assumitur eadem illatio tanquam principium demonstrandi. Sic in casu si quis ad probandam veritatem principii rationis sufficientis, assumeret ipsum

principium tamquam praemissam ratiocinii; is profecto in circulum vitiosum offenderet. At nulla est petitio principii aut circulus, cum una veritas per aliam demonstratur, quae licet esse debeat ratio sufficiens veritatis illius, idipsum tamen non praesupponitur uti notum ac certum, sed uti demonstrabile, et vi demostrationis rem sic se habere fit notum.

Obiic. III. Posita absoluta necessitate principii rationis sufficientis, in fatalismum incidendum foret. Nam in primis omnes veritates, quae illius ope deducuntur, essent etiam absolute necessariae; sicut evenit in veritatibus, quae ex principio contradictionis inferuntur. Deinde nulla causa libere operaretur; nam sicuti, adstructo *rationato*, adstruenda esset *ratio sufficiens*, ita, *ratione sufficienti* posita, deberet poni etiam *rationatum*.

Resp. *Nego* 1.^{m} *antec*. Ad primam vero rationem, *dist*. si procederent etiam ex minori absolute necessaria *conc*. sin autem ex minori contingenti, *nego*. Beguelinus dum ita ratiocinatur, palam facit se in analysi iudiciorum instituenda parum esse versatum. Ut enim art. 1.° dictum est, tum illationis veritas absolutam habet necessitatem, cum ex duplici praemissa absolute necessaria consequitur. At cum alterutra contingenti tantum tenetur necessitate, tunc, licet alia absolute sit necessaria, tamen illatio nonnisi hypotheticam tantum necessitatem nanciscitur. Quare, ut ad rem nostram veniamus, cum, posita luce, inferimus existere eius rationem sufficientem; haec per ratiocinium huiusmodi non est nisi hypothetica; alterutra enim praemissa, a qua pendet, est veritas contingens. Quocirca si quando insuper velit ostendi existentiam illius rationis sufficientis esse necessariam, adiungi debet ratiocinium constans duabus praemissis necessariis. Neque id mirum videri debet, cum ex ipso principio contradictionis illationes sint quandoque hypotheticae, non absolutae necessitatis. Sic ex. gr. cum ita ratiocinamur: *impossibile est idem simul esse et non esse*; *atqui sol est*; *ergo non potest non esse*; haec impossibilitas non existentiae solis est ex hypothesi existentiae ipsius, quae dum est nequit non esse. Ad aliam prob.^{m} de libertatis iactura nego prorsus assumptum. Principium enim illud non affirmat nisi quod, posito rationato, debeat poni ratio sufficiens. Utrum vero, posita ratione sufficienti, debeat poni rationatum, id ex eo pendet quod ratio illa causa sit necessaria vel libera. Si enim necessaria est, rationatum necessario ponitur; contra vero, si est libera. Unde propositio istaec: posita ratione sufficienti poni debet rationatum, distinguenda est hoc pacto: si ratio sufficiens sit causa necessaria relate ad rationatum ponendum, *conc*. sin libera, *nego*. Nec instet Beguelinus inquiens, si ita foret, rationem sufficientem non esse id quod esse statuitur; siquidem ipsi deesset aliquid, quod ad rationatum ponendum exquiritur. Nam repono nihil ipsi revera deesse; at, quia libera in agendo est, rationatum posse ponere vel non ponere ex interna sua virtute atque activitate, quin ullum ei complementum accedat. Sic accidit in voluntate humana, cum ad actus liberos se determinat. Verum de hac re, cum de libertate agemus, fusior erit explanatio.

CAPUT II.

DE ENTE EIUSQUE GENERALIBUS PROPRIETATIBUS

Hactenus de principiis, quae ens respiciunt, prout in cognitione versatur, diximus: venio nunc ad ens ipsum prout in se est, seu in statu, ut dici potest, *obiectivo* spectandum. Ac principio quidem a simplicioribus exordientes, quid entis notio ferat quotque generalia eius attributa sint evolvemus; deinceps ad haec viritim consideranda gradientes de unitate et iis, quae cum ea copulantur, edicemus: tum de entis veritate et bonitate earumque contrariis aut affinibus notionibus, quae scitu necessaria sunt, explicabimus.. Quamobrem quadripartitam divisionem quatuor articulis absolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De conceptu entis eiusque proprietatum numero.

20. Ut testis est locuples Pallavicinus (1) quemadmodum in iudiciis non omnia sunt demonstrationi obnoxia; sed ad aliqua tandem devenire oportet, quae probari non egeant, sed menti notescant propter se: sic in conceptibus non idea quaevis definiri postulat, sed aliquae revera sunt, quae utpote simplicissimae et sub experientiam et intelligentiam immediate cadentes, sua luce se manifestant. Quod ni ita esset, mens in infinitum, ut aiunt, definiendo procederet, nec unquam operis exitum comperiret. Ex quo illud absurdissimum consequeretur, ut si notio quaevis per alias clariores describenda esset, definitio omnis et descriptio e

(1) Proposizioni evidenti ed indemostrabili sono quelle, che, sol pronunziate, per simpatia di natura tirano a se l' intelletto, e portano il testimonio della loro verità scolpito nel volto. Or la stessa dottrina dee trasferirsi dalle proposizioni a concetti con proporzione. Concetti adunque evidenti ed indefinibili sono quelli, che cadono sotto l' immediata esperienza dell' intelletto. Per esempio, il caldo, la bianchezza non possono dichiararsi con parole più manifeste a chi sà la lingua; essendo cotali nomi imposti ad alcuni oggetti, che noi per esperienza sentiamo. Si chè dar non puossi loro definizione, che ci faccia più chiaramente intendere di che si parla. Solo ci si possono di vantaggio manifestare intorno a cotali oggetti le cagioni, da cui essi procedono, gli effetti che da essi derivano; ed altri aggiunti di lor natura. Il che sagacemente vide Aristotile, mentre egli nel definire o le cose, che si fanno immediatamente palesi al senso esteriore, come il caldo, il freddo, l'umido, il secco; o gli affetti dell' animo nostro, che sotto l' esperienza interna ci cadono, come l' ira o'l dolore; altro non fè, che spiegarne i loro effetti, o le lor cagioni; nè gli diè molestia in ciò il veder talora essere i vocaboli della definizione, che egli apportava, più oscuri, che 'l definito. Perciochè non intese di rendere colla definizione il definito più chiaro, ma d' aggiunger qualche nuova contezza della natura di lui. Ita vir ille summus (Del Bene lib. II. cap. 7.)

medio pelleretur. Iam istiusmodi conceptus per se claros et manifestos, qui definitione non egent, ideas *primitivas*, et si universales sint, *transcendentes* nominabis. In harum numero certe *entis* habenda erit notio; quae idcirco definitione illustrari non exiget. Et sane si definitio omnis iis duntaxat conceptibus adhiberi potest, qui utpote convoluti et implexi, in alios simpliciores, atque ideo generaliores (1), evolvi possunt: qui fiet ut idea entis, quae omnium maxime universalis est et simplex, veri nominis definitionem admittat? Etenim ideam entis maxime esse generalem exinde constat, quod haec ad omnia prorsus se applicet et adiungat, eaque veluti suo sinu complectatur. Nihil enim est, quod non sit ens, atque in tantum, in quantum ens est, cognoscatur. Esse autem simplicissimam non minus apparet: quandoquidem ceteris conceptibus collustrandis, et quasi partiendis deserviat. Sic, ut exemplo utar perspicuo, si quis quid homo sit posceret, responderi posset ex. gr. *animal rationale*; si ulterius quaereret quid animal? reponeretur *vivens sensu praeditum*; si instaret iterum: quid vivens? ei diceres: *substantia, quae se movendi interno gaudet principio*; percontanti denuo: quid substantia? adderes *ens in se existens*. At cum ad *entis* notionem deveneris, progredi ulterius definiendo non potes; nisi vitioso, ut aiunt, circulo obvolvi velis: quippe cum, quilibet conceptus feratur in medium, is implicitam sibi habeat et veluti inclusam notionem entis: neque hac universaliorem proferre possis; nec proinde simpliciorem; quo enim simplicior notio est, eo debet esse universalior. Conceptus igitur entis sponte sua perlucet, neque est definitionis indigus; ac siquis eum non perciperet, is nihil unquam esset percepturus.

Verum ut haec constant, nihilominus si non severam definitionem, quam hic haberi non posse diximus, sed qualemcunque declarationem, explicandi gratia, postules: harum trium, si lubet, sumes aliquam. Prima ens describet: *illud omne cui existentia non repugnat*; cui autem illa repugnat, id *nihilum* dicet. Altera, partitione veluti utens, ens asseret esse *id quod ratione aliqua aut est, aut fuit, aut saltem possibile est*, contrarium vocabit *nihilum*. Tertia ens dicet: *id omne quod aliqua ratione directe et positive intelligi potest*; quod autem nullo pacto directe sed negative tantum intelligitur, *nihil* erit. Quae definitiones, ut perspicis, notionem entis involvunt, et aliis duntaxat nominibus repraesentant.

21. Cum id, quod est aut intelligitur, extare possit vel in cognitione duntaxat, ita ut existentiam extra cogitationem revera non habeat vel extare reapse possit extra mentem in rerum ordine; consequens est ut ens generatim acceptum in *ideale et reale* dispertiendum sit. Ideale ens erit, quod in mente tantum viget; exempli causa mons aureus: reale contra erit quod extra mentem reperitur, ut velu-

(1) Vide quae in Logica diximus de comprehensione et extensione idearum (Dialec. c. 1. art. 1.); tum etiam quae de definitione docuimus (ibidem art. 4.).

maxime universalis, omnia complectitur. Ergo cum huiusmodi attributa quaeruntur, non quaeritur positio aliqua et realitas ab ipso ente distincta eique veluti superaddita. Contra vero nec quaeritur aliquid mere a mente confictum, quia quidquid tale est, id in rebus non invenitur, sed mente duntaxat excogitatur; cum contra aliqua adsint quae cuilibet enti, semota mentis consideratione vel fictione, competunt; ut de tribus recensitis satis superque constat; siquidem, etsi mens nihil de rebus cogitet, tamen quaelibet res in se vera est, bona est, unitate gaudet. Cum igitur entis attributa ex una parte esse non debeant aliquid mere ideale, ex alia vero esse non possint ab ipso ente distincta; restat ut sint vel aliqua negatio cuilibet enti communis, vel respectus et relatio ad tertium aliquod, quod etsi notione entis continetur, tamen sit eiusmodi ut semet aliaque cetera entia respicere possit. Atqui nulla alia negatio in quolibet ente considerari potest nisi vacuitas divisionis (omne enim ens in se divisum non est, licet a ceteris divisum sit): nullus respectus cuilibet enti communis adest, nisi is, quem entia quaeque ad vim cognoscendi ac appetendi habent (siquidem ab aliquo saltem intellectu omne ens cognoscitur, omnisque realitas ab aliqua voluntate vel iam appetitur, vel certe appeti potest). Ergo haec tria tantum ut affectiones entis considerari possunt, videlicet eius *indivisio*, *relatio ad intellectum*, *relatio ad appetendi vim*. Iam vero horum primum exprimit unitas, alterum veritas, tertium bonitas. Haec igitur tria duntaxat: *unitas*, *veritas*, *bonitas* ceu entis proprietates iure constituuntur. Quod si quis plures obtrudere velit, eo quod alii respectus negationesve non paucae in ente considerari possint; ipsas respues, quia eiusmodi esse tibi facile videbuntur, ut vel cuilibet enti non competant, vel ad tres commemoratas ipsamve notionem entis commode revocentur: quemadmodum ex dicendis magna ex parte patebit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Unitate, Identitate, Similitudine, Distinctione.

23. Unitas definiri potest *carentia divisionis*, seu notio enti attributa quatenus hoc in plura, quae eiusdem rationis sint ac ipsum, dividi nequit. Ita haec aula unitate fruitur, quia licet dividi possit in parietes, pavimentum, testudinem; vel etiam, si lubet, in alia angustiora conclavia: tamen dispesci nequit in plures aulas eiusdem magnitudinis ac ipsa est. Sic etiam Plato est unus, quia in plures discerpi non potest. Quis enim putet posse veluti in frusta secari Platonem? Quod ubi fingitur, iam non manet Plato. Quamobrem recte unitas in quadam indivisibilitate consistit, perque eam merito explicatur. Ne tamen existimes unitatem, eo quod per terminum negativum *indivisibilitatem* exprimitur, in mera negatione quoad se reponi. Saepe enim usuvenit, ut voce nos ne-

gante utamur ad aliquam positivam perfectionem significandam, cui negatio imperfectionis alicuius adnexa sit. Sic ex. gr. cum animum immaterialem dicimus; neganti hoc vocabulo positivam animi perfectionem innuimus, ex qua resultat ut materiam omnem excludat. Idem in praesentiarum incidit; unitas enim, quae per *indivisibilitatem* exponitur, ipsam rei entitatem seu perfectionem importat, quatenus haec divisioni non subditur.

Ex unitatis definitione consequitur tot reperiri species unitatis, quot extant indivisibilitatis species aliae aliis perfectiores. Porro summa indivisibilitas, ac proinde perfectissima unitas, ea est per quam aliquid ita est unum, ut neque ex partibus coalescat, neque pars esse possit ullius compositi, nec sit modificationibus ullis suscipiendis obnoxium. Hanc appellare possumus unitatem *simplicissimam* aut *maximam*, quae propria est Dei solius; omnia enim creata entia vel composita sunt, vel, licet simplicia, tamen aut ad substantiam unam compositam efformandam dicunt ordinem, aut saltem modificationibus afficiuntur, quibus nonnihil ipsis additur perfectionis. Sic spiritus creatus quamquam simplicem naturam habet, tamen cogitationes appetitionesque mutabiles suscipere potest, a quibus aliqua ratione perficiatur. Alia unitatis species ea est, per quam aliquid, etsi non sit compositum, tamen aut ad compositum aliquod constituendum ut pars concurrit, aut saltem modificationibus nonnullis afficitur. Sic animus humanus compositionis quidem est expers, at ad hominem una cum corpore constituendum ordinem habet. Hanc rite dixeris unitatem *simplicitatis*, quae propria est omnium rerum creatarum simplicium. Tertia est unitas *compositionis*, quae entibus ex partibus coalescentibus competit. Sic unus est homo, licet animo et corpore constet; unum est templum licet lapidibus caementisque confletur. Denique adiungi potest unitas ordinis, quae in multitudine ordinata, seu uni subiecta capiti, aut ratione aliqua, quae fini congruat, disposita cónspiciatur. Sic unitate fruitur civitas, unitate fruitur horologium.

24. Huc revocanda est *identitas*, quae vel unitas quaedam est, vel ex unitate resultat; definiri autem potest: *convenientia entis cum seipso*; siquidem ens quodvis, cum sibi ex necessitate conveniat, idem est sibi ipsum. Ad eius autem partitionem quod attinet, identitas primo dispesci potest in *physicam* et *moralem*. Illa habetur cum ens idem dicitur, eo quod eius physica realitas perseverat, ut animus perpetuo vivens perpetuo erit sibi idem. *Moralis* vero vocatur identitas, cum ens sibi constat in existimatione hominum, etsi physica eius constituentia varientur, aliisque loco superiorum succedentibus conflетur, at sensim sine sensu, ita ut mutatio considerationem effugiat. Sic domus, quae temporis successu ita pedetentim ex integro instauratur, ut id sensui non appareat; etsi nulla vetus pars supersit, nihilominus morali existimatione censetur eadem, utut physice sit diversa. Secundo dividitur identitas in *essentialem* et *accidentalem*, prout ens in essentialibus vel accidentalibus sibi consonat permanetque.

Tertio, cum convenientia istaec spectari possit vel quoad notiones genericas, vel quoad constitutiva specifica, vel denique quoad determinationes numericas individuamque rei entitatem; identitas partienda venit denuo in *genericam*, *specificam*, et *numericam*. Sic inter hominem, et belluam generica, inter diversos homines specifica, inter unum hominem et seipsum numerica identitas intercedit. Denique identitas dispesci potest in *realem* et *rationis*, quarum prima habetur cum ens sibi est idem quoad rem ipsam, altera vero cum non modo re, sed etiam conceptu sibi convenit.

25. Cum notionibus *unitatis* atque *identitatis* conceptus etiam nectitur *similitudinis*, quae semper in aliqua unitate vel identitate fundatur. Est enim similitudo *concordia distinctorum*: atque ideo ibi viget, ubi entia numero differentia in aliqua perfectione vel charactere conveniunt. Proindeque quae similia vocantur, licet numero discrepent oportet; tamen aut specie, aut genere, aut saltem analogia sunt eadem. Nihilominus frequentior tulit usus ut similia ea strictius dicerentur, quae vicissim in qualitate consentiunt, ut duo corpora albedine suffusa. Quae autem in quantitate consonant, ea proprie non *similia* sed *aequalia* nuncupantur, ut duo metalla quaeque centum librarum pondo. Qua in re cum de similitudine facta mentio sit, silentio praeteriri nequit celebris inter Leibnitium, et Clarkium exorta contentio (1): utrum duo entia porfecte similia, seu quae solo numero discreparent, actu possint existere. Negabat Leibnitius vehementer, unde et principium indiscernibilium in philosophiam invexit, *fieri non posse ut duo individua solo numero differentia in hoc mundo extarent*. Affirmabat Clarkius; nullam siquidem hac in re adesse repugnantiam contuebatur. Quaestione perpensa Clarkio adstipulandum opinamur. Id enim fieri a Deo potest, quod intrinsecus repugnantiam non involvit; non esse autem hic internam contradictionem seu conceptuum pugnam ipse Leibnitius veritate adactus largiebatur. Nec rationes de carentia rationis sufficientis pro utrisque in diverso loco sistendis, aut de experientia in omnibus dissimilitudinem aliquam patefaciente, quibus ille ad hypothesim suam utebatur, evincunt quidquam. Nam ad primam quod spectat, cum loci individua determinatio non a rei, quae conditur, natura, sed a conditoris pendeat libertate; Dei voluntas quae ens quodvis creans tali determinato loco prae alio constituit, quo libere voluit: ipsamet, inquam, Dei voluntas in sui libertate rationem sufficientem haberet cur aliud simile ens producens, id alibi (quod pro primo facere poterat) collocaret. Experientia autem non est tanti, ut ad omnia in orbe existentia se porrigat; et quamvis porrigeretur, impossibilitatem tamen oppositi non ostenderet. Non enim quod non extat, id continuo ex hoc impossibile arguitur; siquidem a *non esse* ad *non posse*, ut fert proverbium, non datur illatio.

26. Identitati opponitur distinctio, quae esse potest vel *realis*, vel

(1) Recueil, de lettr. entre Leib. et Clark. op. Leib. tom. 2, Ed. Gen.

rationis. Prima, ubi una et simplex viget entitas, non reperitur; importat enim differentiam saltem numericam inter ea quae sic distinguuntur. Poscit autem bifariam dividi; in distinctionem *realem substantialem* quae etiam κατ' ἐξοχὴν realis dicitur, et in distinctionem *realem modalem*, quae etiam *accidentalis* vocari posset. Illa viget inter numero saltem separatas substantias, pone *duos lapides*, vel inter principia substantiam compositam constituentia, quorum unum entitate sua non est aliud, puta *animum humanum* et *corpus*; appellarique potest *adaequata*, si eorum, quae distinguuntur, unum non sit pars alterius, veluti si sumas ex. gr. duos individuos homines; *inadaequata* vero si unum instar partis ad aliud concurrat efformandum; ut si *animum humanum* cum *toto homine* compares. Modalis autem, seu accidentalis distinctio ea dicitur quae intercedit inter substantiam eiusque modificationes vel accidentia, aut etiam inter unam modificationem et aliam. Sic inter ceram eiusque figuram, interque figuram coloremque distinctio viget modalis: quam distinctionem esse realem vel ex eo patet quod unum mutatur, quin simul mutetur aliud. Sed de his deinceps. Distinctio autem rationis unitati rei simplicis vel etiam physicae identitati neutiquam adversatur: vel enim mere a mente dependet, vel accipit quidem ab obiectis fundamentum; attamen a ratione perficitur. Huius vero triplex discerni debet: nimirum *formalis*, *virtualis*, *mere mentalis*. Prima viget ubi res simplex ac partibus physicis carens ita varios gradus perfectionis complectitur, ut horum unus obiective non involvat perfectionem alterius. Sic gradus sensibilis in animo humano a gradu intellectuali distinctione formali secernitur. Secunda viget cum una simplicissima entitas licet in se prorsus indistincta; tamen propter sui excellentiam pluribus aequivalet, ac proinde distinctionis fundamentum considerationi praebet. Sic attributa divina distinguuntur inter se. Utraque appellari etiam solet distinctio *rationis ratiocinatae*; eius enim fundamentum extra rationem reperitur. Demum tertia seu distinctio *pure mentalis* ea est, quae a mente duntaxat pendet obiectum idem duplici idea, confusa una, altera distincta, sibi obiiciente, quin ullum in rebus inveniat fundamentum. Quare haec distinctio rationis rationcinantis dici etiam assolet. Talis est distiuctio, quae intercedit inter *hominem* et *animal rationale*; nulla enim est alia diversitas, nisi quod idem obiectum prius exprimitur idea confusa, deinceps distincta.

ARTICULUS TERTIUS.

De Entis Veritate.

27. Veritatem hic spectamus prout rebus inest, quibus aliqua ratione competere ex ipsa loquendi patet consuetudine. Dicimus enim saepenumero: haec est vera virtus; hoc verum animal; hic verus amicus; atque his similia: quibus effandis reale obiectum a fallaci, vel simulato distingui volumus. Moris autem loquendi magna philosopho habenda ratio est; ubi enim communis est, naturam autricem habet et magistram, eiusque ductu ordinem ipsum cognoscendi abstrusasque plerumque veritates latenter amplectitur. Age nunc de hac veritate, quam veteres *transcendentalem*, recentiores *metaphysicam* appellant, confuse admodum disseruit Wolfius eam definiens ordinem eorum, quae enti conveniunt (1). Equidem secundum ea, quae etiam in Logica attigi, entis veritatem sic in complexu eorum, quibus ens constituitur, reponendam existimo; ut respectus aliquis, seu relatio ad cognitionem non excludatur. Opinorque ex. gr. aurum idcirco appellari verum, quia eiusmodi res est, quae si concipiatur ut aurum, vera erit cognitio. Idem dic de reliquis, quae vera nuncupantur. Atque hoc mihi videtur voluisse Augustinus, cum inquit (2): *verum est, quod ita se habet, ut videtur cognitori, si velit possitque cognoscere.* In eadem sententia fuisse patet Anselmum, qui entis veritatem ita descripsit (3), ut sit *rectitudo sola mente perceptibilis.* Quibus verbis sat quidem luculenter expressit ad entis veritatem convenientiam exquiri quamdam; id enim importare videtur vox illa *rectitudo*, et mox respectum ad cognitionem addidit iunctione illa: *sola mente perceptibilis.* Atque explicatio istaec veritatis, quamvis in divinam etiam naturam quadrat, quae ideo vera nominari dici potest, quia idonea est veram sui notitiam gignere: evidentius tamen in rebus creatis apparet, quae in tantum propriam sortiuntur realitatem ac sunt id quod sunt; in quantum ideis Dei archetypis assimilantur (4). Quapropter consen-

(1) Ontolog. Part. 1. sec. 3. c. 6. §. 495.
(2) Soliloq. lib. 2. c. 5. n. 8.
(3) Dialog. de verit. c. 9.
(4) Id in sequenti capite probandum erit abunde: nunc si uti lemma posterius demonstrandum suscipere insuave est; suavissimum fiat elegantissimis Aligherii nostri versiculis, qui perdocte, ut assolet, sic cecinit: (Parad. cant. 13.)

Ciò che non muore, e ciò che può morire
  Non è se non splendor di quella idea,
  Che partorisce amando il nostro Sire.
Che quella viva luce che si mea
  Dal suo lucente, che non si disuna
  Da lui, nè dall'amor, che in lor s'intrea;
Per sua bontade il suo raggiare aduna
  Quasi specchiato in nuove sussistenze
  Eternalmente rimanendosi una.

sus inter rem eiusmodi atque ipsius constituentia a relatione ad cognitionem saltem illam, a qua pendet, separari non potest. Ex quo efficitur ut philosopho rerum naturas, quoad profundissime possit, perscrutanti relatio talis ad entis veritatem requisita in eius definitione praetermittenda non sit. Nec tamem putandum est *ens verum* ad divinum duntaxat intellectum ordinem includere: ad nostrum enim etiam suo modo illum involvit. Namque entia etsi non omnia nec semper actu cum mente nostra conformentur; tamen eiusmodi sunt, ut eidem apta sint conformari, ac in nobis veram sui parere cognitionem. Quare illud etiam existit, quod sapienter, ut solet, perspexit D. Thomas, ens *verum* dici potissimum, et primo per ordinem ad divinam mentem, secundo autem minusque proprio respectu intellectus creati. Etsi enim quaeque entia huic etiam adaequari possunt, a quo certe apta sunt attingi: nihilominus nonnisi quoad mentem divinam relationem habent maximam, necessariam, atque essentialem. Maximam quidem, quia divinae mentis acies unica est, quae talem rerum cognitionem possidet, ut perfectior nequeat excogitari; necessariam vero, quia nulla res effugere valet divinae mentis notitiam ac vim; essentialem denique, quia, cum entia creata, quotquot sunt, a divinis ideis pendeant; vi suae naturae respectum ad divinam mentem habent, cum qua per cognitionem necessario adaequantur.

28 Ex dictis elucet etiam falsitatem in rebus nullam proprie reperiri. Quaeque enim res illam entitatem sortitur, quam non solum per se, sed in determinatis etiam adiunctis, quibus afficitur, cognita a Deo est fuisse habitura; ac proinde divinae ideae necessario respondet. Itemque quoad nos ens quodvis idoneum est veram sui notitiam gignere; et si aliquando huic discrepat, id non ex interna aliqua falsitate, sed ex imprudentia iudicantis, qui de obiecto nondum rite perspecto iudicium profert, exoritur. Nihilominus, quoniam obiectum aliquod in talibus quandoque versatur adiunctis, ut falso iudicio facile det ansam, *per accidens*, ut aiunt, et quasi vocis abusu, falsum dicitur. Sic aurichalcum ex. gr. appellatur aliquando falsum aurum, quia huius ideam ex errore nobis facile ingenerat, quae obiecto, ad quod refertur, non respondet.

ARTICULUS QUARTUS.

De Bono et Malo agnatisque notionibus.

29. Bonum, utpote unus ex conceptibus transcendentalibus, et simplicibus, definiri nec indiget nec potest; atque est eiusmodi, ut omnes vel imperiti ipsum distincte norint. Et sane si omnes vel rudissimi in bonum feruntur (siquidem nullus est, qui bonum, qua bonum est, non velit) signum profecto est bonum ab omnibus dignosci; ignoti enim nulla cupido. Nihilominus, quoniam etiam hae notiones, quae immediate sub intelligentiam cadunt,

possint quandoque vel aliis conceptibus per se aeque notis, sed audienti fortasso notioribus, vel per effectus et proprietates declarari; id nos in praesenti quoad bonitatis conceptum praestare conabimur.

Itaque notio bonitatis, si res accurate spectetur, reponenda videtur in convenientia entis cum vi appetendi; unde bonum dici posset esse *id quod congruit appetitui*. Porro ex hac congruentia seu conformitate resultat ut bonum appetibile sit; verissima enim est haec causalis propositio: quia res congruit appetitui, seu quia bona est, ideo appetitionem allicit. Quocirca aliqui philosophi ad hoc boni consectarium spectantes bonum definivere: *id quod omnia appetunt*; quae definitio est a posteriori et ex effectu, ut sapienter S. Thomas observat (1). Utraque autem definitio optima est, et quae magis arridet deligi potest. Ut autem pateat ambas esse legitimas, duo declarari oportet: I. appetitui bonum duntaxat congruere posse; II. omnia reapso entia bonum appetere. Et ad primum quod spectat, cum quilibet appetitus a natura inditus sit propter perfectionem rei cui inhaeret, (natura enim intendit perfectionem entium non perniciem); elucet hinc huiusmodi appetitum ac propensionem convenientiam non habere, nisi cum iis, quae ens perficiunt, in eaque duntaxat ferri posse. Iam vero, quae ad aliquid perficiendum valent, haec certe bonum eius constituunt. Ergo appetitui non congruit nisi bonum, seu nonnisi bonum appeti potest. Quod vero omnia in bonum propendeant aliquod manifestissimum est. Nam cuilibet enti finis aliquis a natura est constitutus, in cuius vel possessione conquiescit, vel assecutionem tendit; finis autem idem est ac bonum; quippe cum perficiat appetentem, atque naturalem consequatur ordinem, qui, utpote rectissimus, ad utilitatem rerum, non detrimentum adnititur. Alia quae circa materiam, quam tracto, quaeri possent, in postremo capite Ontologiae, ubi de causa finali agemus, edicentur. Hic antequam nonnullae difficultates, quarum solutio ad maiorem rei intelligentiam magnopere conducit, proponantur; praecipuae boni partitiones sunt innuendae.

30. Itaque primo bonum dividi potest in *absolutum* et *relativum*. Illud est, quod absolute appetitur, eo quod natura sua enti congruat ipsumque perficiat: alterum vero, quod non propter se, sed tantum in certis rerum adiunctis ad appetitum illiciendum pollet. Secundo bonum dispesci potest in *physicum* et *morale*; primum est quod *physice* ens perficit, et obiectum est appetitus seu tendentiae naturalis; posterius vero quod in ordine morum perfectionem affert, et obiectum est voluntatis. Sed praecipua boni divisio in ea cernitur, qua illud in honestum, delectabile, et utile dispartitur. Cuius partitionis ratio inde depromitur, quia cum bonum, ut proxime dictum est, idem sit ac id quod convenit appetitui, id trium partium oriri potest ex aliqua. Nam huiusmodi bonum vel

(1) In 1. Ethic. c. 1.

appetitui congruit ratione sui, vel ratione alterius boni, ad quod consequendum ceu medium subvenit. Si postremum hoc contingat, bonum *utile* habebitur, qualis est ex. gr. medicina, quae propter sanitatem appetitur, ad quam servandam, vel restituendam valet. Sin erit alterum, tunc bonum illud vel appetentiam ad se convertit ac rapit nulla ratione habita delectationis, quae inde oboritur, sed tantum quia decet, estque per se rationi consentaneum; et huiusmodi bonum appellatur *honestum*. Talis est virtus; quae etiamsi nullum oblectamentum afferret; tamen digna foret, quam vehementi studio natura intelligens prosequeretur sibique adscisceret. Quod si bonum aliquod diligitur ratione delectationis, quae inde consequitur, *delectabile* nuncupatur; quale ex. gr. esset bonum sensile, quod omni honestate privatum contra dictamen rationis impurum hominem irretiret.

31. At oppones I. Falsum est bonum duntaxat congruere appetitui. Etenim multi quod pravum est et iniquum diligunt; id autem bonum esse nequaquam potest.

Resp. *Negato* antecedente, probationem *distinguo*: multi quod pravum etc. praecise quatenus malum est diligunt, *nego*; quatenus sub aliquo respectu sibi bonum existimant, *concedo*. Itemque *distinguo* alteram propositionem adsumptam: pravum nequaquam potest bonum esse reale et verum, *conc.*; falsum et apparens, *nego*. Cum obiectum pravum diligitur, non diligitur sub eo respectu, quo malum est; id enim ob argumenta superius allata repugnat. Sed diligitur quatenus ex alia parte bonitatis cuiusdam est particeps; ponc in quantum delectationem affert, et turpificatis affectibus inservit explendis: vel saltem uti bonum aliquod allaturum falso apprehenditur. Unde illud Aristotelicum effatum: *omnis qui peccat est ignarus*. At ut bonum duntaxat allicere dicatur, opus non est obiectum amatum reapse omnibus inspectis esse bonum, sed sufficit ut quoad respectum, sub quo appetitur, bonitatem habeat, vel saltem instar boni appareat. Nullum enim obiectum voluntatem trahit, nisi prout cognitioni subest. Proinde modo, quantumvis ex errore, res, quae appetitur, uti bonum concipiatur, ac prout talis est, diligatur; semper erit indubium bonitatem esse rationem, quae appetitum terminat pertrahitque.

Instabis: Si ita esset nemo delinqueret; sic enim etiam qui peccare dicitur, bonum appeteret; in boni autem dilectione inesse culpa non potest.

Resp. *Nego* instantiam. Ad prob. *Dist.* Is etiam . . . . . bonum appeteret, a quo ratione malitiae, quam ibi implexam videt, sibi cavendum esse dignoscit, *conc.* secus, *nego*. *Distinguo* pariter aliam minorem: nulla culpa est in dilectione boni quod ignorantia ineluctabili non cognoscitur ut reiiciendum ob malitiam eidem implicitam, *conc.* in dilectione boni, quod ratione malitiae coniunctae vitandum dignoscitur, vel etiamsi hoc ignoretur, id ex culpabili procedit ignorantia, *nego*. Culpa non inde habetur, quod malum sub ratione mali appetatur; sed ex eo, quod eligatur bo-

num, a quo abstinendum est, utpote sub altera ratione malum esso conspicitur; idque lege vel naturali vel positiva iubeatur. Quod si aliquando huiusmodi malitia in obiecto non percipiatur; tunc, vel haec ignorantia voluntaria non est eaque proinde inculpata manet, atque hac hypothesi eligens *per accidens*, ut aiunt, non peccat, neque id contra nos evincit aliquid: vel hic error ex voluntario debitae considerationis defectu emergit, et tunc ratione culpabilis erroris, vitiosa electio imputatur; licet obiectum eo respectu, quo bonum est, appetatur.

Obiic. II. Carentia existentiae, quae fundamentum est omnis boni, nequit apprehendi ut bonum. Atqui nonnulli eo dementiae adiguntur ut nunquam in vitae lucem prodiisse cupiant. Ergo hi saltem malum appetunt.

Resp. *Dist. Maior.* Carentia existentiae per so et absolute inspecta nequit apprehendi uti bonum, *conc.* Relativo considerata, nimirum existentia uti affecta summis aerumnis, *nego.* Consimili distinctione *concedo* et *nego* minorem, tum *nego Cons.* Etsi aliqui forte inveniantur qui vel nunquam extitisse, vel in nihilum redigi frustra desiderent: tamen triste hoc desiderium in ipsis non excitatur ex amore non existentiao absolute spectatae, sed ex amore felicitatis, qua suam existentiam privari et in perpetuum privatum iri cognoscunt vel existimant. Ex tali enim cognitione iam non amplius existentiam considerant, uti fundamentum omnis boni, sed uti fundamentum summae miseriae, a qua vehementer abhorrent. Ex quo est ut etiam existentiam illam oderint, quae quamdiu perduret, summum illud malum so evadero non posse iudicant. At si radix prima huius appetitionis deterrimae investigetur, non alia certo prodibit, nisi amor et appetitus boni; in tantum enim quisquo miseriam odit, in quantum beatitatem diligit; siquidem mali fuga in amoro boni fundatur, ex ipsoque veluti surculus ab radice pullulat.

Obiic. III. Falsum est bonum ab omnibus appeti; quandoquidem bonum se habet uti verum. Atqui verum a naturis duntaxat intelligentibus cognoscitur, non vero ab iis quae intelligentia destituuntur. Ergo bonum ab illis tantum appetitur.

Resp. *Neg. Ant.* Ad probationem *Dist.* bonum se habet uti verum, quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego. Concedo min.* et *Neg. Cons.* ac paritatem. Hoc argumentum *a pari* desumptum, nisi probe perpendatur captiosum esse solet plus vice simplici. Nam non semel a convenientia, quam duo in aliquibus servant, ad ea, in quibus illa non conveniunt, temere graditur. Id vitii praesentem commaculat difficultatem. Nam verum et bonum in multis quidem consentiunt, ex. gr. quod pronuntiari possint de rebus omnibus, quod cum ente licet re convertantur, ratione tamen et conceptu differant. At in nonnullis discrepant; et una ex differentiis haec est potissimum, quod verum sit obiectum entium intelligentium tantum, bonum autem sit obiectum cuiuslibet appetitus vel tendentiae. Hinc cum non omnia intellectu sint praedita,

quaeque contra aliquem appetitum, per modum saltem naturalis seu physicae propensionis habeant (quaemadmodum est in inanimis); consequens est ut bonum ab omnibus appetatur, verum contra non ab omnibus cognoscatur. At quaenam suadet ratio, ut quae in aliquibus conveniunt, ea in omnibus similiter oporteat convenire?

Obiic. IV. Deus nequit appetere bonum; ergo falso asseritur bonum ab omnibus appeti. *Pr. Ant.* Nam qui natura sua omne bonum possidet, illud non appetit.

Resp. *Dist. Ant.* Deus nequit appetere bonum aliis a se distinctis, *nego*; sibi, *subd.* nequit appetere idest desiderare tamquam aliquid nondum habitum, *conc.* idest diligere et tanquam de re possessa gaudere, *nego.* Cum dicitur bonum appeti, appetitio istaec non restringitur ad solum affectum desiderii, quod nonnisi circa obiectum absens versari potest. Sed ea voce, cum naturis intelligentibus applicatur, proprie significatur amor, qui revera obiecti praesentiam vel absentiam non attendit, sed duntaxat in eo ponitur, *quod bonum illud* intuenti complaceat; ex qua animi in rei bonitate oblectatione ceteri omnes enascuntur affectus. Quocirca Deus licet omnia in se possideat, nihilominus non potest hanc ipsam infinitam suam bonitatem non diligere, de ipsaque non delectari. Atque hoc satis superque est ut dicatur Deus etiam bonum appetere. Sed practerea etiam alio sensu id verum est, quatenus cum nil boni in creatis rebus reperire sit, quod a Deo illud impertiente non proficiscatur; Deus etsi non sibi, tamen aliis a se distinctis bonum nondum habitum velle potest, atque ex hac voluntate ad illud ipsis elargiendum procedere.

31. Malum, quod bono opponitur, merito definitur ab Augustino *privatio boni*; qui (1) sic ait: *nihil aliud est malum quam privatio boni: sicut nihil aliud est caecitas, quam privatio luminis.* Ratio autem huius definitionis clara est; nam malum ex una parte nequit esse positio quaedam seu entitas (omne enim ens in quantum eiusmodi, bonum est), ex alia parte nequit esse mera negatio; secus cum nullum sit ens creatum, cui aliqua perfectionis non insit negatio, horum quodvis malum foret, et quidem multifariam, quippe cum innumerae negationes in singulis locum habeant. Sic sol ex. gr. malus haberetur, quia intellectu et voluntate non fruitur; homo item malus, quia alis ad volandum caret; atque ita de ceteris censendum erit. At hoc, nisi amens, nemo dixerit. Restat ergo ut malum sit privatio, quippe inter positionem entitatis eiusque meram negationem medium locum nihil obtinet nisi privatio. Ad intelligendum vero quomodo privatio media veluti sit inter entitatem et puram negationem, animadvertite privatione non significari quamlibet perfectionis absentiam, sed eam duntaxat, quae perfectionem neget subiecto debitam. Sic carentia visus quoad lapidem non dicitur privatio, sed mera negatio, quippe lapidi visio non debetur; at quoad hominem iure appellatur privatio, siquidem

(1) Solil. c. 5.

homini videndi vis natura sua est debita. Quocirca homo hac destitutus caecus proprie dicitur; at lapis non dicitur caecus, sed non videns. Quae cum ita sint, quoniam subiectum, cui perfectio aliqua debetur, ens aliquod est, et positivum ordinem ad perfectionem sibi debitam habet; carentia perfectionis eiusmodi seu privatio, ratione subiecti et inclinationis eius, quam notat, differt a nihilo, licet, si absolute in se spectetur, nihil sit.

32. Notione mali breviter declarata, ad eius partitionem gradum facimus. Cum antea malum non divideretur nisi in *physicum* et *morale*, prout perfectione vel physica vel morali subiectum idoneum destitueret: a Leibnitio primum dividi coepit in *Metaphysicum*, *Physicum*, et *Morale*. Verum a veteri partitione non recedendum puto, siquidem primum huius secundae membrum redundare videtur. Etenim Leibnitius et qui eum sequuti sunt malum metaphysicum compellant ipsam rerum creatarum limitationem, seu altioris perfectionis carentiam, quae rebus quibusque finitis, utut perfectis, aliqua semper inest. Verum haec, utpote mera negatio, rationem mali ex supra dictis habere nequit; nec unquam mihi persuadere potui, quidquam genuina idea concipi posse uti malum, eo quod perfectione privetur, quam habere non debet. Nihilominus, ne de verbis disputemus, si quis hanc necessariam creaturarum limitationem malum metaphysicum appellare adamat, de re ad vocabula pertinente non altercabor. Secundo malum respectu creaturae rationalis consideratum dividi solet in *malum culpae* et *malum poenae*, prout vel est inordinatio in actione aut omissione libera, ac proinde carentia perfectionis liberae voluntati debitae, vel est quaelibet alia carentia boni contracta ob culpam aut inflicta. Tertio malum dispesci potest in *absolutum* et *relativum*. Illud dicitur quod per se malum est, eo quod sit privatio boni debiti; hoc vero audit, quod in se proprie bonum est, sed respectu alterius malum dicitur, eo quod ipsi inferat detrimentum. Sic iustitia iudicis quanquam optima est propter se, tamen respectu nocentium mala audit, quippe cum eos debitis plectat poenis.

33. Quaestiones aliae, quae existere hoc loco possent, praesertim circa originem mali, in Theologia naturali, cum Manichaeos confutabimus, persequemur. Quaeri tantum hic posset quodnam ex recensitis maius sit malum. Respondeo malum mere relativum, vocabuli tantum abusu malum dici, sed proprie esse bonum, ut in iustitia vindicis exemplum habes. Sin malum physicum cum morali comparetur, procul dubio malum morale excedere videbitur; quippe cum imperfectio sit entis nobilioris, seu intellectualis naturae. Denique si malum culpae cum malo poenae conferatur, culpam profecto multo admodum poena deteriorem dices. Nam in primis poena non infligitur nisi ob culpam; ac proinde haec illius est causa. Secundo malum culpae privat rationalem creaturam debito ordine ad Deum, cuius offensam et iniuriam continet; quare limite quodammodo carentem malitiam amplectitur, ratione infinitae personae, quae laeditur habeturque contem-

ptui. Malum vero poenae nonnisi in detrimento quodam creaturae situm est, atque ideo immenso intervallo a malo culpae discedit. Ex quibus consequitur ut homo, si ratione duci velit, multo certe libentius detrimentum quodvis subire debeat, quam vel levissima culpa infici.

34. De bono eiusque opposito explicavimus; nonnihil modo de notionibus quibusdam bono valde affinibus delibandum. Ac primum se offert idea *perfecti*, quae etsi saepe cum notione boni confundi soleat, tamen separanda videtur atque sic describenda, ut perfectum dicatur illud, cui quoad sui naturam conditionemve nihil deest. Eius abstractum perfectio audit. Sic ex. gr. navigium perfectum nuncupabis, si in ipsius structura ac partibus nil desideratur, quod ad artefactum illud pertinet. Sin contra vitiosum erit. Ideae perfecti notio succedat *ordinis*, qui definiri poterit dispositio aut directio rerum fini proposito consentanea; quae definitio exemplis fiet manifestior. Militum enim acies, cum pugnandum erit, ordine instructa dicitur, si ita milites disponuntur et collocantur, ut victoria de hoste facile ferri possit. Operationes hominis ordine gaudent, cum ita se invicem excipiunt, ut fini obtinendo conducant. Ubi id desit, confusio habetur seu inordinatio. Ex quibus elucet, ordinem diiudicari oportere ex fine operi proposito, atque exinde potissimum esse metiendum. Cum vero finis possit esse vel universalis vel peculiaris, prout toti praefigitur aut parti; consequens est ut ordo etiam in universalem sit vel peculiarem partiendus. Ille est, qui in omnibus simul partibus totum aliquod constituentibus spectatur; hic vero, qui in singulis seorsum inspicitur. Ex ordine ac proportione resultat *pulchritudo*, quae maximopere cognoscentem delectat; unde si non ex causa, unde gignitur, sed ex effectu, quem praestat, definiri velit, pulchrum dici potest *id cuius cognitio contuenti placet* (1); bona enim assequi

(1) Scite, ut alia multa, notat hoc Pallavicinus sic aiens » La bellezza non diletta in quanto affermata, ma in quanto veduta, o appresa vivacemente. Però quando anche io sapessi (come avviene talvolta ne' sogni più leggieri) di sognar in quest' ora; e che però nè questo viale si nobilmente ameno, nè que' graziosi scompartimenti di fiori, nè quelle statue cosi leggiadre fossero altro che una impastatura di larve notturne, tuttavia, se ne durasse in me la stessa vivace apprensione, durerebbemi insieme lo stesso piacere. Il proviamo tuttodi nelle favole, che raccontate da espressivo scrittore, o rappresentate da Istrioni sagaci dilettano con la bellezza loro, benchè altro di se, che la prima apprensione non introducano in noi, ben certi della lor falsità, come si è dimostrato. E, perchè l'occhio e gli altri sensi non errano mai, nulla essi affermando, che in ogni inganno d'apparenza non resti vero, come ieri ne dichiarò il P. Andrea, e la prima apprensione non è capace nè di verità nè d' errore (suppongo ciò secondo la più comune, e più vera filosofia) però nulla rileva al vagheggiatore del bello per verificar le sue cognizioni, che l' oggetto da lui appreso sia o non sia di fatto, qual ei nell' animo se 'l figura. Che s' egli per una tale o visione o vigorosa apprensione s' induce a stimarlo presente con un' atto di giudizio, il gusto nondimeno della bellezza non sorge

cupimus, pulchra autem contueri. Quare hoc inter bonum et pulchrum interest, quod illud appetitum respiciat inclinandum ad sui prosequutionem, hoc vero cognitionem conspectu suo oblectandam; sic caelum syderibus ornatum distinctumque, cum forte per sudum suspicimus, pulchrum appellamus sola eius visione contenti. Fatemur tamen quidquid pulchrum est, alio respectu esse etiam bonum; at vero aliud est duas notiones simul iungi, aliud unum idemque complecti. Nec vero pulchrum physicum tantum est, sed morale etiam; imo hoc tanto illud excedit, quanto animi dotes ac veluti lineamenta praestantiora sunt, quam corporis. Denique si pulchrum eiusmodi perfectionem offerat, ut animum cognitione sui vehementer percellat, ac praeter ordinem consuetum magnum excitet affectum admirationi coniunctum; id constituit, quod *sublime* appellatur. Ad quod, ut videtis, etsi obiectum terrorem incutiens, utpote ad vehementem affectum concitandum maxime fortasse pollens, summopere conferat; non tamen unice videtur idoneum; atque in hoc errasse videtur Aristoteles, qui contrarium asseruit.

CAPUT TERTIM.

DE PRAECIPUIS ENTIS PARTITIONIBUS

Potior Ontologiae pars, et nervosior fortasse ceteris hoc capite continebitur. Quod cum ad generaliores quasdam, quae scitu magis necessariae sunt, classes Entis descendat: eas evolvit notiones, quae propius et maxime res attingunt naturae, tum mentem uberiori, et distinctiori notitia amplificant. Mirum igitur esse non debet, si fusius aliquanto hic immoramur. Ut autem disputationis ordo veluti adumbretur iam initio; in Entium diversorum varietatem praecipuam mentis aciem coniiciamus. Ens itaque generatim inspectum aliquo horum modorum potissimum cogitari potest: nimirum ut possibile vel existens, ut necessarium vel contingens, ut mutabile vel immutabile, ut temporaneum vel aeternum, ut finitum vel infinitum, ut simplex vel compositum, ut substantia vel accidens, ut absolutum vel relativum. De his igitur, ac si qua sunt alia, quae cum his connectuntur, quantum opus est septem articulis edicemus. In quorum evolvendis notionibus earumdem genesim ex aliquo obiectivae veritatis fonte petitam semper innuemus, ut commentitia Kantii opinatio eas ex formis quibusdam *subiectivis*, et naturali duntaxat animi nostri comparatione derivantis usu ipso et practica prope refutatione eripiatur.

da così fatto giudizio, ma da quella vista, o da quella viva apprensione, la quale potrebbe restar in noi, emendato ancora l'inganno della credenza (Del Bene lib. 3. cap. 53.)

ARTICULUS PRIMUS

De Possibilis notione.

35. Aut ea, quae extra nos sunt posita et adspectabilem naturam conflant, sensibus usurpantes, aut quae nobis insunt conscientia attingentes, continuo conceptum possibilis mente possumus informare. Si enim illa, quae diximus, evidenter et indubie extare perspicimus, fieri profecto non potest quin non eadem idonea esse ad existendum concipiamus. Hinc notio *possibilitatis* gignitur; qua voce nihil aliud a nobis significatur, nisi entis habilitas ad existendum. Non igitur opus est, quemadmodum delirando fingit Kantius, conceptum eiusmodi subiectivum esse et phaenomenicum, sed est revera obiective realis; quippe cum ex realium obiectorum consideratione facile queat comparari. At vero genesis istaec, quam exposuimus, veluti a *posteriori* est, nimirum ex intuitu rerum, quas iam extare perspicimus. Sed insuper illius efformandae notionis alia suppetit via a *priori*, quatenus ex intuitione ipsa idearum facile queat derivari. Cum enim mens aliquid cogitando contemplatur, rationem entis, quam superiore capite exposuimus, ibi actutum deprehendit: atque illuc ubi pervenerit, statim videt nihil esse in eo obiecto cur ad existentiam deduci prohibeatur. Ex quo efficitur ut concipiat capacitatem quamdam existendi; in qua, ut proxime diximus, notio *possibilitatis* est posita: cui ut contrarium *impossibilitas* seu existendi incapacitas adversatur. Porro ex hac possibilitatis declaratione, eiusdem partitio in *internam* et *externam* sponte fluit. Existendi enim habilitas aut mere cogitatur respectu notarum mutuo consentientium, quae obiectum constituunt (quidquid enim est huiusmodi, profecto entis, atque ideo possibilis notionem exhibet); aut spectari potest in comparatione virtutis causae cuiusdam, a qua produci res possit (quidquid enim fit vel producitur, id certe in possibilium numero haberi oportet). Horum si primum consideratur, possibilitas emergit interna seu metaphysica, quae iure definietur *habilitas existendi consensu nixa notarum quae rem constituunt;* seu aliis verbis: *contradictionis absentia, ex qua fit ut ens vi suarum notarum non repugnet existentiae.* Sin vero alterum cogitatur, possibilitas effloreseit externa, quae non immerito describeretur ita, ut sit *existendi habilitas considerata respectu causae, quae rem producere potis est.* Haec vero si attenditur quoad vires causae creatae, (quae a Deo praeter ordinem operante praepediri possunt) *possibilitas physica* nuncupatur. Quibus adnecti potest possibilitas *moralis*, quam definies *existendi capacitatem in ente vigentem non modo quoad vim suae causae, sed inspectis etiam huius circumstantiis et moribus.* Hinc intelligitur quid sint diversae impossibilitatis species, quidque vario impossibilis vel possibilis nomine designetur. Nam quidquid in suis notis essentialibus nullam conceptuum pugnam involvit, eo quod illae consentiant inter se, *interne* vel *metaphysice* pos-

sibile nominatur, velut si mundum cogites alium; contra vero quidquid in notis constituentibus repugnantiam habet, impossibile *interne* et *metaphysice* dicitur, ut si circulum fingas duabus constantem lineis. Quod si ea, quae interna possibilitate gaudent, causam habeant, a qua produci ad existendum possint, externe etiam possibilia nuncupantur; et, si haec causa rerum creatarum ordine contineatur, *physice* etiam audiunt possibilia. Secus est de impossibili *externe vel physice*. Denique si id, quod interne et externe possibile est, existendi retinet habilitatem, etiam cum adiuncta propensionesque causae spectantur, posssibile *morale* vocatur; atque ideo moraliter impossibile erit quod etsi a vi causae fieri absolute possit; tamen huius naturali inclinatione circumstantiisque perspectis, vel numquam vel raro et cum difficultate fiet; pone ex. gr. odium parentis in liberos (1). Ex quibus elucet possibilitatem internam esse *absolutam*, externam *relativam*, quippe quae rem, in qua cogitatur, egreditur virtutemque respicit causae; itemque impossibile interne *nihilum* esse omnimodum, siquidem cum pugnantibus notis constet, hae mutuo se destruunt, ac proinde ne in conceptu quidem relinquunt aliquid. Contra vero interne possibile, etiam cum nondum extat, etsi physice sit nihil, est tamen aliquid metaphysice; cum enim notis, quae simul concilientur coalescat, in mente saltem et conceptu ponit aliquid. Ex quo factum est ut a recentioribus quibusdam possibile hoc dictum fuerit *nihil positivum*, illud vero impossibile *nihil absolutum et negativum*. Atque haec de notione possibilitatis satis quidem dicta sunt.

36. Existunt autem hoc loco quaestiones quaedam subdifficiles, quae originem et discrimen attinent ipsius possibilitatis, quaeque omnino praetermitti non possunt. Sunt enim nonnulli (2) qui internam rerum possibilitatem quoad Deum de medio pellunt, existimantque eas dici possibiles respectu duntaxat divinae potentiae, a qua quidquid fieri possit, id possibile revera audiat. Alii vero dependentem faciunt a Divina voluntate ac arbitrio, statuuntque interne possibilia in tantum evadere in quantum Deus ea ve-

(1) Longe hic sumus, ut videtis, a perabsurda Genuensis opinione, qui comminiscitur impossibile morale nuncupari, quod licet in se repugnantiam non involvat; tamen cum divinis pugnet perfectionibus, pone cum natura sapientia vel bonitate. Eius haec sunt verba » Impossibilia moralia vocant philosophi, quae quidem sunt possibilia intrinsece, sed tamen, quia cum Dei natura pugnant, fieri a Deo nequeunt, velut eum mentiri, errare, peccare, aut peccati esse auctorem (Elem. Metaph. par. 1. c. 1. def. 10.) » At quis non videt haec et similia hoc ipso quod divinis repugnant attributis, internam seu metaphysicam impossibilitatem involvere? Certe Deus mentiens, errans, peccati auctor conceptibus mutuo pugnantibus coalescit; quodque *subiectum* propositionis ponit, id evidenter eiusdem demit *attributum*.

(2) Hoc sensisse videtur Sectae nominalium auctor Okamus in 1. Dist. 43. q. 2.

lit, qui proinde si aliter voluisset, possibilia etiam forent quae nunc ob notas mutuo pugnantes impossibilia iudicamus. Huius sententiae fuit Cartesius (1) et Poiret; quae tamen ceteris sapientioribus commnni suffragio improbatur. Alii demum internam hanc rerum possibilitatem sic tuentur, ut eam non modo a Dei potentia, et voluntate, verum etiam ab intellectu, et essentia independentem ducant. Sic opinari videntur Genuensis et Storchenavius; quorum alter (2) docet mundum pendere a Deo quoad existentiam non autem quoad essentiam; alter vero (3) asserit in absurda hypothesi Dei non existentis posse res quoad conceptum essentiarum permanere fruiqne possibilitate interna, licet quoad externam possibilitatem intereant. Harum sententiarum nulli prorsus assentior, quidque hac in re existimandum sit variis propositionibus gradatim aperiam.

36. Principio igitur assero quidquid interne possibile sit, Dei potentiae id subdi; attamen internam rerum possibilitatem a divina omnipotentia non pendere; sed ante huius considerationem opus esse ut res iam interne possibiles cogitentur. Ac prima quidem assertionis huius pars adeo in promptu est et explorato, ut demonstrari vix egeat. Evidenter enim cuique paret Dei potentiam, utpote infinitam, ad omnia porrigi posse, quae conceptuum pugnam nullam habent; secus si hornm aliquod efficere non posset, limitibus profecto coerceretur. Virtus enim limite carens ac undique prorsus absoluta potis esse debet efficere quidquid existendi est capax, seu quidquid habet rationem entis; ea autem, quae in suis notis essentialibus repugnantiam nullam includunt, entis prae se rationem ferunt, atque ideo ad existendum sunt idonea. Dei igitur virtus, si infinita est, nihil quod existendi capacitatem

(1) Is in responsionibus ad sextas obiectiones n. 6. sic loquitur: repugnat enim Dei voluntatem non fuisse ab aeterno indifferentem ad omnia, quae facta sunt, aut unquam fient, quia nullum bonum, vel verum, nullumve credendum, vel faciendum, vel omittendum fingi potest, cuius idea in intellectu Divino prius fuerit, quam eius voluntas se determinarit ad efficiendum ut id tale esset. Neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine, vel natura, vel ratione ratiocinata, ut vocant: ita scilicet ut ista boni idea impulerit Deum ad unum potius quam aliud eligendum. Nempe exempli causa non ideo voluit mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab aeterno: nec voluit tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, etc. Sed contra quia voluit Mundum creari in tempore, ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab aeterno: et quia voluit tres angulos trianguli necessario aequales esse duobus rectis, idcirco iam hoc verum est, et fieri aliter non potest; atque ita de reliquis » In eandem sententiam loquitur saepe alias quae quidem merito a Cudworto (syst. intell. c. 5.) et a Clarkio (Exist. de Dieu c. 11.) gravissime reprehenditur, et a Baylio (Dict. art. Spinoza) interitus Metaphysicae nuncupatur.

(2) Elem. Metaph. Part. 1. cap. 1. Def. 16.

(3) Ont. Sect. 2. Cap. 1. §. 36.

habet, sibi non possibile ducit; atque ideo quidquid intrinsecus est possibile externam etiam respectu Dei possibilitatem includit. Ac sane si vis agendi causae perfectionem consequitur, ipsique in latitudine respondet; Deus, qui ob praecellentem sui naturam rerum omnium perfectionem supereminenti ac simplicissima ratione continet, ad omnia, quae entis conceptum habent, producenda polleat necesse est. Id itaque ratum certumque habentes ad alteram propositionis partem confirmandam gradiamur. Pro qua eodem argumento utimur ex infinita Dei virtute desumpto. Nam si omnis rerum possibilitas ex divina potentia duceretur; haec certe quibusdam circumscripta confiniis et quasi terminis cogitanda esset, qui in virtute undique completa ac limitum prorsus experti fingi quidem nulli possunt. Et re quidem vera, si entia quaevis in tantum essent possibilia, in quantum Deus producere illa posset; eorum opposita ideo impossibilia dicerentur, quia Deus eadem creare non posset. Sic quemadmodum quaerenti cur circulus rotundus non repugnat, responsum hoc suppeteret in ea hypothesi: quia Deus illum facere potest; pari ratione contrarium percontanti cur circulus quadratus repugnet, respondendum esset: quia Deus illum facere nequit. Atque similiter in ceteris impossibilibus ratio desumenda foret ex ipsa divina virtute; quod certe imbecillitatis diminutarumque virium praeferret conceptum. Imo etiam ipsa infinitae Divinae potentiae notio pessumdaretur. Si enim ideo res possibiles duci deberent, quia fieri a Deo possent; ideo Deus diceretur omnipotens, quia facere posset ea omnia, quae potest. Quod cum de qualibet causa utcumque finita dici etiam valeat (siquidem omnis causa facere potest ea omnia, quae potest): certe aut omnes indiscriminatim omnipotentia preditae fingi deberent, aut Deus dici non posset omnipotens. Quorum utrum absurdius sit haud equidem scio; illud tamen est certum, utrumque notionem perimere omnipotentiae. At contra haec omnia evanescunt, si cum saniori philosophia statuatur res, antequam cum divina potentia conferantur, interna perfrui possibilitate, quae ex consensu notarum eas constituentium efflorescat. Petenti enim tunc causam cur aliquid quoad Deum impossibile sit, ex. gr. *homo irrationalis* vel *lapis cogitans*, responsum idoneum in promptu esset, quia haec et similia entis rationem non habent; utpote cum notis mutuo pugnantibus coalescant, quae se invicem destruentes in obiecto, quod faciendum fingitur, nihil relinquunt. Egregie id, ut alia permulta, D. Thomas (1)» quia potentiae activae, *inquit*, obiectum et effectus est ens factum: nulla autem potentia operationem habet ubi deficit ratio sui obiecti, sicut visus non videt, deficiente visibili in actu; oportet quod Deus dicatur non posse quidquid est contra rationem entis in quantum est ens... contra rationem entis est quod entis rationem tollit: tollitur autem ratio entis per suum opposi-

(1) Contra Gentes lib. 2. c. 25.

tum , sicut ratio hominis per oppositum eius vel partium ipsius : oppositum autem entis est non ens : hoc igitur Deus non potest , ut faciat simul unum et idem esse et non esse , quod est contradictoria esse simul » Quamobrem, ut sapienter concludit alias , eiusmodi obiecta congruentius dicerentur non posse fieri , quam Deus non posse illa facere.

37. Deinde assero Contra Cartesium internam rerum possibilitatem a Dei voluntate ac arbitrio non esse pendentem. Id quidem perspicuum erit, si consideremus res omnes quoad sui naturam in conceptu spectatam et quoad notas invicem consociabiles , immutari et in contrarias verti omnino non posse. Quidquid enim est ens ac verum aliud non est quidquam, nisi supremi *Entis* ac primae *Veritatis* , Dei nimirum , plus minus imperfecta imitatio ac veluti similitudo. Deus enim totius realitatis est pelagus , qui ratione perquam eminenti perfectiones , quotquot excogitari possunt , secretis limitibus et defectibus, in se unus amplectitur. Quamobrem quidquid aliud praeter Deum in entium habetur numero et conceptu informatur, aliud esse non potest, quam immensi illius *Luminis* fulgor exiguus , et illius sine origine *Fontis* scaturiens rivulus ; seu , ut brevius dicam , aeterni illius exemplaris diluta nimis imago. At vero quis non optime perspicit imitationem ac imaginem, quae prototypon utcunque refert, commutabilem esse non posse, quamdiu illud immotum invariatumque persistit ? Atqui Deum quoad omnes perfectionis gradus, quos habet, non esse mutabilem nemo, qui aliquid sapiat, non fatetur. Huc igitur, nolis velis, adigeris , ut nisi possibilia earumque veritatem Dei quotamcumque similitudinem imitationemque gerere aliquando desinant (desinere autem numquam queunt): ea suapte natura et conceptu mutari non posse largiaris. Quod cum ita sit, eadem a libera Dei voluntate , quemadmodum Cartesius comminiscitur , pendere neutiquam possunt , nec opinionis errore fingi debet potuisse Deum contrarium eius, quod possibilia sunt, velle, eaque contrariis, ac nunc habent, notis constituere; puta hominem rationis expertem, aut spiritum constantem materia. Huic argumento per se satis ineluctabili novam rationem adiunge, quae rem confirmet ; nam si rerum possibilitas a libera Dei penderet voluntate, aliquid intrinsecus repugnans , ac mutuo sese negantibus notis coalescens obiectum esse deberet divinae voluntatis et potentiae : exempli causa circulus quadratus , aut animal sensu carens. Si enim Deus ita voluisset , haec per Cartesium possibilia forent , atque ad existendum idonea. At vero hoc perabsurdum est, et a ratione alienum maxime. Nam eiusmodi obiecta nihil essent; quandoquidem, cum notis sibi invicem reluctantibus conflarentur, hae se invicem demerent, et, quod una poneret, alia destrueret. Nihil ergo realitatis in obiecto eiusmodi relinqueretur. *Nihil* igitur et *non ens* esse possent in ea sententia obiectum et terminus Divinae voluntatis ac virtutis. Atqui id, ipso fatente Cartesio, vehementer repugnat, qui saepe asserit actionem

divinam terminari non posse ad non ens; et merito, siquidem id vi principii contradictionis vetatur. Nam secus aliquid simul esset et non esset; esset quidem, quia produci fingitur, et quia terminus divinae actionis, cum debeat esse positio (actio siquidem illa positiva est) et divinae bonitatis imitando particeps, aliqua entitate fruatur oportet; non esset vero, quia characteres oppositi, unde constaret, se eriperent mutuo. Ergo si rationi et sibi ipse Cartesius constans esse velit, tetrum hoc figmentum devoveat necesse est. Denique communi cordatorum hominum iudicio veritas istaec confirmatur. Quisque enim naturae ductu cum possibilene aliquid sit an secus ambigit, non rei conceptum deserens ut nodum solvat ad divinam confugit voluntatem: sed utrum res in suis notis essentialibus contradictionem involvat diligenter anquirit. Ex qua cogitandi ratione illud perspicuum fit nos a natura doceri rerum possibilitatem internam non a divino arbitratu, sed ex ipso earumdem conceptu ac notis, unde coalescunt, efflorescere.

Nec cum Cartesio occurras inquiens Dei potentiam nulli circumscribi limitibus; atque ideo non posse etiam ad ea, quae ob conceptuum pugnam impossibilia existimantur, non protendi. Nam, ut paulo ante dictum est, nulli limites divinae virtuti figuntur ex eo quod contradictoria ne a Deo quidem fieri posse dicantur. Obiectum enim actionis cuiusque ens aliquod *reale* quidem *non chimericum* esse oportet; quod autem repugnat intrinsecus, id *nihil* esse prorsus non semel abunde probavimus. Porro infinita Dei virtus in eo cernitur, quod omnia, quae ad existendum sunt idonea, seu quae repugnantiam sibi non implicant, e nihilo possit educere.

38. Verum enimvero ut haec certa rataque sint, tamen non propterea arbitrandum est rerum possibilitatem nullo modo a Deo esse pendentem. Reapse enim possibilia, quotquot sunt, a divina natura et intellectu dependentiam aliquam habeant necesse est. Quae sententia, praeter unanimem omnium aetatum principum Theologorum consensum, posteriorum etiam philosophorum non paucos patronos habet; in primisque Leibnitium (1) et Gerdilium (2), quorum ingenium et acumen in metaphysicis praesertim maximi faciendum reor. At quoniam non auctoritate sed ratione pugnandum est, momenta nonnulla, quibus niti haec veritas potest, delibemus. Ac in primis si, ut vellent adversarii, possibilia, quae in sui etiam existentia, quam *logicam* aiunt, aliquid *obiective* reale sunt, et cum nihilo absoluto et negativo, ut dicunt, non confusa, a Deo nulla ratione penderent: profecto Deus non esset in omni statu rerum omnium principium; quod absurdissimum dictu est. Praesertim si cogitemus possibilia istaec in sui conceptu ac characteribus considerata realitatem habere finitam, quae sine dependentia ab infinito explicari non potest. Nam quidquid independens est, hoc ipso confi-

(1) Vide principia philosoph. et Tentamina in Theodiceam.
(2) Vide Dissert. de Dei exist.

niis coerceri nequit. Limites enim, qui fingerentur, rationem sufficientem nullam haberent; nihil enim seipsum limitat. Cui accedit quod possibilia, ut supra dixi, imitationem quamdam prae se ferant supremi exemplaris, quod magis minusve perfecte repraesentant; quodque, ut patens est, aliud esse non potest nisi Dei natura et perfectio omnibus absoluta limitibus, et quidquid realitatis est simplicissime et eminenter amplectens. At vero quis non perspicit imaginem qualemcumque et similitudinem et participationem a sui principio ac exemplari, quod utcumque imitatur, pendere quamplurimum, eoque sublato, superesse et permanere non posse? Possibilia igitur, si ciusmodi sunt, a Dei natura, quam imitando finite participant, pendentia sint oportet. Verum pendent insuper ex intellectu. Nam imitationes istae et quasi imagines ab aeterno ante universi molitionem in semet ipsae non extabant; nisi in impium absurdumque Platonis commentum prolabi quis velit statuentis ideas rerum archetypas extra Deum in se necessario subsistentes, Restat igitur ut in cognitione extiterint cuiusdam mentis aeternae, quae acie sua quidquid cognosci poterat penetraret. Verum mens alia praeter divinam ab aeterno et necessario nulla extitit atque extare non potuit. In hac igitur possibilia existentiam suam Logicam habuisse oportet, quam nisi illa extitisset, habuissent nullam. Ad rem Leibnitius (1) » Verum etiam est in Deo non modo esse fontem existentiarum, verum etiam essentiarum quatenus reales sunt, aut eius quod in possibilitate reale est. Propterea intellectus Dei est regio veritatum aeternarum aut idearum, unde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilitatibus, et nihil non modo existeret, sed nihil etiam possibile foret » Atque haec dependentia ab intellectu divino quae fortasse *subiectiva* potius quam *obiectiva* videri alicui posset, confirmatur exinde, quod mens divina sit quae, fundamento ab essentia divina sumpto, conceptus rerum possibilium determinat. Quod quo pacto concipi debeat, sic dilucide et breviter explicare posse mihi videor. Supereminens divinae mentis intuitus divinam naturam plene ac adaequate cognoscit; eam proinde permeet necesse est quoad omnem modum ac respectus quos includit. At vero divina essentia id sibi adsciscit, ut non modo sit pelagus realitatis omnis, verum etiam referri multifariam possit et numero carentibus veluti imaginibus propius remotiusque prototypo accedentibus repraesentari. Ergo divina mens essentiam divinam perspicit non modo prout in se infinita et simplicissima est, sed etiam prout forinsecus possit magis minusve imitando referri. Hinc sine numero efformat conceptus rerum distinctarum, quae pro suo quaeque modulo divinas perfectiones ac naturam plus minus multimodis imitari possint. Hi conceptus vel ideae non quoad realitatem subiectivam, quam habent in Deo, sed quoad terminum obiectivum, quem includunt, inspectae, possibilia consti-

(1) Princip. philosophiae §. 43. Oper. t. 2.

tuunt et repraesentant : ad quorun deinceps imitationem creantur, quaecumque creantur. Quare sapienter Boëtius cecinit (1).

...... Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.

Hinc nova elucet ratio cur possibilia, dum divinis ideis continentur, a Dei etiam natura pendentia esse oporteat. Nam ordo mentalis et logicus a reali et physico anteceditur, eoque aut proxime aut remote saltem nititur. Quapropter mens in ideis rerum quarumlibet sibi efformandis fundamentum accipere debet ab existente aliqua realitate. Ergo cum Deus ex aeternitate possibilia omnia perspiciat; debuit profecto Divinus ille intuitus in conceptibus hisce veluti conflandis ad existens aliquod respicere obiectum, cum quo possibilia illa relationem haberent, et ex quo eorumdem concipiendorum veluti exordium et fundamentum sumeretur. Atqui obiectum eiusmodi aeternum existens, quod Deus contemplando aliorum omnium cognitionem eliceret, aliud non est nec esse potest, nisi ipsamet Divina essentia. Ergo possibilia quaeque a Deo sic pendeant necessum est. Apposite iterum Leibnitius (2) « Etenim opus est ut si quid realitatis in essentiis, aut possibilitatibus, aut potius in veritatibus aeternis fuerit, haec realitas fundetur in aliqua re existenti et actuali, et consequenter in existentia Entis necessarii, in quo essentia includit existentiam, aut in quo sufficit esse possibile ut sit actuale (3) » Denique addi

(1) De consolatione philosoph.
(2) Loco superius citato §. 44.
(3) Omnium praestantissime dependentiam hanc explanare videtur Lessius noster (De perfectionibns moribusque divinis l. 5. c. 2. §. 10.) Sic inquiens: In obiecto omnipotentiae Divinae duplicem considerari posse possibilitatem: intrinsecam et extrinsecam, remotam et propinquam. Intrinseca possibilitas est aptitudo ipsius rei, seu non repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota, ratione enim huius dicitur res possibilis etiam si non consideratnr ulla potentia, qua possit produci: sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus, qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo a Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in *esse possibili* producat (esse enim possibile, qua tale, non potest esse terminus productionis nec potest habere causam effectivam) sed habet eam a Deo tamquam a causa quasi exemplari. Essentia enim divina, quatenus est tali modo imitabilis et communicabilis, est ratio per modum radicalis ideae cur humana natura sit possibilis et habeat tale esse obiectivum et potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis esse obiectivi, et possibilitatis intrinsecae omnium possibilium: et omne esse obiectivum possibilium pendet ab essentia Divina tamquam a prima et originali omnium idea, a qua singula suam speciem et rationem conceptibilem in suo gradu, et ordine varie limitatam habent, modo iam explicato .... Itaque omnia possibilia continentur in essentia divina tamquam in originali radice, et quasi in exemplari *virtuali* et *radicali*: in sapientia tamquam in exempla-

hue potest argumentum, quod inter ceteras acutissimas et egregias rationes P. Dmowski profert in suis institutionibus nuperrime editis. Nam cum obiectum cognitionis, ut iure advertit, semper ratione aliqua perficiat cognoscentem; si possibilium cognoscendorum fundamentum et ratio ex divina natura non esset depromendum, Deus in hac scientia perficeretur et penderet ab aliquo sibi extrinseco, et a se prorsus independente quod repugnat maxime (1).

39. At oppones fortasse I. Haec sententia redolere videtur Pantheismum. Nam per eam res possibiles nil aliud forent, nisi ipsae divinae ideae, ac divina essentia participabilis. Deinde conceptum laedit creationis; res enim non crearentur amplius ex nihilo, sed sui possibilitatem supponerent.

Resp. Haec nonnisi imperitissime posse obiici. Etenim sententia, quam tuemur, longissime abest a pantheismo, sicut longissime illinc abfuere Doctores prope omnes Catholici, qui eam post D. Thomam docuerunt. Ratio autem, quae opponitur, puerili constat aequivocatione. Nam, ut proxime diximus, res possibiles non ipsa realitate subiectiva divinarum idearum constituuntur, sed iis, quae illis continentur ut termini et obiecta. Non enim ipsa rei cognitio, quae cum Deo unum idemque est, sed quod per cognitionem divinam cognoscitur, rerum possibilitatem efformat. Nec vero notio creationis laeditur, quae hoc importat, ne phisyca aliqua realitas, ex qua tamquam ex subiecto res fiat, praeiaceat; non autem ne interna rei possibilitas ante adsit, quae imo praerequiri debet omnino. Quae quidem ut praecedat, attamen res, quae conditur, e nihilo revera creatur. Non enim inepto putandus est Deus, cum aliquid creat, id ex ipsa interna possibilitate quodammodo extrahere, aut possibilitati existentiam iungendo, ex utraque veluti conflare compositum. Sed revera, cum res nova e nihilo conditur, id omne, unde illa constat, producitur; eius vero possibilitas divinis ideis comprehensa, eadem, quae ante erat, immota permanet.

Oppon. II. Concipere optime possumus internam rerum possibilitatem, quin de intellectu aut natura divina cogitemus. Atqui id, quod concipi potest absque alio, noutiquam ab eo pendet. Ergo interna rerum possibilitas a divino intellectu, et natura non pendet.

Resp. Argumentum hoc in primis optime posse contra ipsum adversarium retorqueri. Nam parili modo ego possem eadem forma contra Dei existentiam aut aliam certissimam veritatem, quam adversarius arcte teneat, ratiocinari: concipere possumus existentiam rerum, quae mundum hunc adspectabilem conflant, quin simul cogitemus de existente Deo; ergo existentia mundi a Deo existente, qui ipsum libere condiderit, revera non pendet. Ridiculum sane argu-

ri *formali*, in quo etiam existunt *obiective* modo perfectissimo et illustrissimo; magis enim ibi fulgent, quam in suis naturis creatis. In potentia tamquam in causa effectrice. etc. »

(1) Vid. Instit. Philosoph. Iosephi-Aloysii Dmowski S. I. Vol. 1. Ont. art. 1. §. 1. Editione Lovaniensi an. 1840.

mentum, quod vel pueri in philosophia norint solvere! Verum ut ad directum responsum veniamus, sic adversarii propositiones distinguimus: optime possumus internam rerum possibilatem concipere, idest eiusdem naturam rimari, quin ratiocinando saltem ad divinum intellectum, et naturam deveniendum sit, ex qua rerum possibilitatem tamquam ab exemplari, modo a nobis explicato, pendere perspiciamus, *nego*; concipere illam possumus, idest apprehendere avocando cogitationem a Deo, *subdist.* et hoc ostendit possibilitatem non esse cum Deo connexam quoad apprehensionem nostram, *conc.* quoad dependentiam in re, *nego*. Quemadmodum, licet ex rerum creatarum existentia inferre ratiocinando cogimur existentiam Dei, qui prima sit earumdem causa; tamen apprehendi absolute possunt res creatae, quin simul apprehendatur et Deus: ita quamquam ex possibilitate rerum deveniri oporteat ad divinam naturam et intellectum, cuius ideis illa contineatur; tamen fas est hanc apprehendere, quin Deus una illico apprehendatur. Verum hoc ostendit duntaxat ibi invicem non adesse connexionem quoad omnem nostrum concipiendi modum, non autem quoad naturam ipsam et dependentiam in re. Utrum vero haec adsit, ratiocinio vestigandum est, quod nos, ut opinor, abunde praestitimus.

Oppon. III. Intellectus etiam divinus supponit obiectum, non facit. Ergo possibilia saltem a Divino intellectu pendere non possunt.

Resp. *Dist. Ant.* Intellectus divinus supponit obiectum primarium, quod sit fundamentum ceterarum idearum, *conc.* secundarium, *subdist.* supponit *virtualiter*, ut aiunt, quatenus in primario aliqua ratione contineatur, *conc.* rursus; completo et iam perfecte in se constitutum, *nego*. De mente divina cum loquimur, duplex distingui debet obiectum: primarium, quod ipsum veluti metitur aequatque, quodque aliud est nullum, nisi ipsamet Dei essentia; et secundarium, quod rebus ceteris a Deo distinctis continetur. Porro primum cum sit veluti principium et exordium cognitionis omnis, cognitionem divinam ordine praecedit omnino, nec ullo pacto a Dei mente pendere dici potest. At alterum, utpote cum vi primarii percipi possit, opus non est ut ante divinum intellectum expleto et pleno in se supponatur, sed sufficit ut praecedat implicite prout aliquo modo in primario contentum sit, ex cuius contemplatione mens divina ipsum constituendi fundamentum accipiat. Quod qua ratione explicandum sit, superius (§. 38.) enucleavimus. Cuius rei exemplum etiam in creato artifice pervidemus. Qui cum ideam opificii alicuius efformat, necesse non est ut illud ipsum opus praesupponat, secus non esset inventor sed merus imitator; verum sat est ut obiecta alia ante adsint, ex quibus contemplandis novae efformandae ideae arripiat fundamentum. Porro respectu supremi artificis, nempe Dei, hoc fundamentum omnium idearum divina essentia est, quae praecellenti quadam ratione omnia contineat sitque protolypon, quod cetera, quotquot

creata sunt aut creari possunt, pro modulo suo imitentur. Quocirca non diximus essentiam rerum possibilium unice ab intellectu divino pendere, sed ab intellectu simul et essentia.

Oppon. IV. Futura contingentia conditionata iuxta meliorem Theologorum sententiam per modum termini in se omnino praesupponuntur, quin a Divino intellectu aut essentia pendere dicantur. Ergo idem dicendum erit de possibilibus.

Resp. *Transeat Ant. Nego Cons.* et *paritatem*; nam dispar valde est ratio cum de futuris eiusmodi ac de possibilibus sermocinamur. Illa enim, utpote cum proxime relationem habeant ad liberam determinationem voluntatis creatae, a qua dependent, cognosci aliter nequeunt, nisi in actuali eiusdem determinatione, seu in se ipsis per modum termini, ut suo loco dicetur. At possibilia ordinem non involvunt, nisi ad divinam essentiam, quae ipsa ut exemplar virtute contineat; atque ideo ante divinum intellectum hoc modo tantum praecedunt, quemadmodum satis luculenter explicavimus. Transmisi autem *antecedens*, quia, cum possibilia, ac proinde ipsa essentia et vis libera creaturae rationalis naturae divinae sit imperfecta quaedam imitatio: ea omnia, quae inde procedunt, remote saltem in naturam ipsam divinam refundi queunt. Ex qua animadversione quin immo maxima solvitur difficultas, quae ab adversae sententiae patronis contra praescientiam conditionatorum oggeri solet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ente prout est existens.

40. In rebus existentibus, quae aut sensu aut conscientia aut ratione pertingimus (1), contemplandis, duo considerari posse videmus: nimirum earumdem aut existentiam aut essentiam. Vel enim cogitamus ea esse id, quod sunt, et non aliud, vel extra suas causas et in rerum ordine esse posita. Si hoc secundum spectamus, existentiae notionem procudimus, quae etsi definitionis non indiga, describi tamen potest ita ut sit actualitas, qua res extra suas causas constituitur seu qua in rerum natura fit praesens. Sin vero spectamus primum, essentiae conceptum habemus, quae aliud non est quidquam nisi id, quod ita rei cuique est proprium, ut eam faciat esse id quod est et non aliud, ac sine quo res nec extare nec concipi mente possit. Aut si cui alia descriptio, quae ferri solet, arrideat; essentia dicetur id, quod primo concipi in ente debeat, quodque radix est omnium illius proprietatum. Ex qua notionum genesi per se patet eos conceptus, utpote ab obiectis ipsis desumptos, non esse, ut vellet Kantius, mere subiectivos et ex fundo tantum rationis emergentes.

(1) Sensu quidem corpora, quae existunt; conscientia nos nostrique affectiones percipimus; ratione vero existentia illa, quae ex aliis inferri debent, attingimus; quaemadmodum abunde in Logica explicatum est.

41. Ad essentiarum quidem conceptum quod attinet tria potissimum consideranda videntur. Primum, eas merito *immutabiles*, *indivisibiles*, et *aeternas* nuncupari. Immutabiles quidem, quia in convenientia notarum, quibus constant, inspectae aliter esse non possunt. Secus contradictoria consequerentur. Sic ex. gr. triangulus etsi prout in tali materia seu subiecto reperitur mutari possit, quatenus eam figuram exuere illud possit aliamque, puta circularem, induere; tamen in suo conceptu et in notis, quibus coalescit, spectatus variari nequit, sed tribus constare angulis postulat necessario. Indivisibiles vero, quia neque minui possunt nec augeri, quin conceptus illius determinatae essentiae interimatur. Sic cum animalis essentia in eo reponatur, ut sit substantia vivens sensu praedita: complexus hic notarum pro tali essentia ita est individuus, ut si unam sustuleris, ex. gr. sensum, iam non animal habeas, sed plantam; si aliam addideris, ex. gr. rationem, non merum animal sed hominem confles. Postremo aeternae dicuntur, non quatenus sempiternam habuerint existentiam; id enim in rebus creatis experientiae et rationi repugnat; sed quatenus a Deo ex aeternitate cognitae sunt ut tales et non aliter; nec ullum extitit tempus aut extare possit, quo, respectu convenientiae notarum, cessent esse id, quod sunt.

42. Alterum observatione dignum est eas dispesci posse *in notionales* et *reales*. Nam si considerantur constitutiva entis prout physice in eo sunt, ut si hominem cogites tamquam ex corpore organico et animo rationali constantem; essentia eiusmodi dici poterit realis. Sin vero spectantur entis constituentia non physica sed metaphysica, *genus* nimirum et *differentia*, quae notiones sunt a mente quidem efformatae, at cum immobili fundamento non arbitrario ex rebus ipsis sumpto; essentia exhibetur, quam nos non incongruenter notionalem appellabimus, Lockius inepte dixit nominalem (1). Eiusmodi esset, si hominem definires animal rationale.

(1) Essai phil. concern. l' entend. hum. liv. 3. ch. 3. §. 15. Mira est prosus et Lockio vere digna doctrina de essentiis, quam is exhibet hoc capite, ex quo absurda nonnulla summatim depromere ingratum vobis fortasse non erit. In primis itaque de definitione loquens, generatim asserit eam nihil esse aliud nisi unius vocabuli ope aliorum plurinm explicationem (§. 10.) — Car les définitions n' étant, comme il a été dit, que l'explication d' un mot par plusieurs autres etc. Deinde statuit ideas generales non esse nisi simplices productiones mentis nostrae (§. 11.) — Lors donc que nous laissons à part les particuliers; les généraux qui restent, ne sont que des simples productions de notre esprit dont la nature générale n' est autre chose que la capacité que l' entendement leur communique, de signifier ou de représenter plusieurs particuliers. Tum progressus ulterius ait essentias nil esse aliud, quam ipsas ideas abstractas (§ 12.) — D' où il paroit clairement que les essences do chaque espéce de choses ne sont que ces idées abstraites. Quarto adiungit duas species posse esse eadem ratione unam tantum speciem, sicut duae diversae essentiae possunt esse essentia unius speciei (§. 15.) — Car deux espèces peuvent être avec autant de fondement une seule espèce, que deux differentes essen-

43. Tertium, quod diligentissime animadverti debet, ad gravissimum Lockii errorem pertinet; qui reales rerum essentias omnino nobis ignotas esse commentus est (1) et nominales tantum cognosci concessit, quas tamen non ad rei constitutionem spectare sed opus esse ait mentis humanae, quae compendii gratia res varias ad nonnullas reducit classes et generalibus nominibus significat. Quae delirans opinatio ex eo profecta esse potissimum videtur, quod inter sensum, qui essentias rerum attingere nequit, iuxta illud Lucretii « haud possunt oculi naturas noscere rerum » et intellectum discrimen fere omne sustulerit Lockius (2), tum etiam eo fine, ni fallor, ut viam sibi sterneret ad dubium de possibilitate materiae cogitantis obtrudendum ex eo, quod materiae essentiam non cognoscamus. Verum error eiusmodi, quo pestilentior nullus in scientias potest invehi, eripiendus omnino est; utpote qui et experientiae et rationi et iis etiam, quae Lockius concedit, repugnat maxime. Et sane experientia constat nos saepenumero vel vestigatione vel ratiocinio in aliquos devenire conceptus, qui physica rerum nonnullarum constituentia satis clare et distincte repraesentant, et quibus allatae superius essentiae definitiones congruunt adamussim. Sic notio, quae hominem exhiberet ut substantiam ex corpore organico et animo intelligente seu immateriali coalescentem, vel ut animal ratione praeditum; id revera repraesentat, quod hominem in determinato entium gradu a ceteris distincto in se constituit, et veluti fons est, ex quo reliqua hominis scaturiunt attributa. Idem dicatur de conceptu animalis, quo exhibetur ut substantia vivens sensu et motu spontaneo fruens; idem

ces peuvent être l'essence d' une seule espéce. Quinto essentiam partitur in realem, quam confundere omnino videtur cum Entis existentia (§. 15)— Premièrement, l' essence peut se prendre pour la propre existence de chaque chose; — et nominalem, quam ut merum figmentum scholasticorum traducit (ibid.) — En second lieu, la doctrine des écoles s'étant fort exercée sur le *genre* et *l' espèce* qui y ont été le sujet de bien des mots, le mot *d' essence* a présque perdu sa première signification, et au lieu de désigner la constitution réelle des choses, il a présque été entièrement appliqué à la constitution artificielle du *genre* et de l' *Espèce*. Postremo concludit essentias reales nobis esse ignotas (§. 18.) — Et cette constitution nous est inconnue, de sorte que n'en ayant point d' idée, nous n' avons point de nom qui en soit le signe. Portentum sane doctrinae, quod iure peperit Lockio eas laudes, quibus a nonnullis infra classem philosophis ad caelum usque evectus est!

(1) Opere citato loco cit. et cap. 6. §. 21 et seq.

(2) Confessum id est in praesens penes omnes fere melioris notae sapientes. Sed pro omnibus sufficiat testis locuples Dugald Stewart, qui aperte fatetur discrimen inter theoriam originis idearum a Lockio adstructam et merum sensualismum non tam esse reale, quam apparens. — Parce que la différence entre cette théorie (Lockianam nimirum) et celle qui dérive toutes nos idées de la sensation seule, est moins réelle qu' apparente. (Elémens de la phil. de l'esprit hum. traduits par P. Praevost t. I. ch. I. sect. 4.).

de conceptu substantiae eam exhibente tamquam ens existens in se; idem de notione animi, qua concipitur ut primum vitae cogitationisque principium; idem de circulo, cum definitur curva plana cuius singula puncta aeque distant ab uno puncto, quod in eodem plano intercipitur; idem de sexcentis aliis, quae facile huc proferri possent. Deinde nisi sceptici esse volumus et omnia susque deque pervertere; fateri certe cogimur nos reales rerum differentias et discrimina cognitione pertingere, quibus naturas non paucas inter se differre percipimus. Nam perspectum satis nobis est hominem vi intelligendi, ratiocinandi, abstrahendi etc. praeditum esse, qua omnino privatur brutum. Itemque animal sensu perfrui, quo destitutae prorsus sunt plantae; has iterum vi vegetandi gaudere, qua omnino cetera inferiora carent corpora. Atqui certum est has rerum proprietates reales esse et ad physicam arumdem constitutionem pertinere. Non enim quia cogitamus aut loquimur, proprietatesistae illis insunt et differunt inter se; sed contra quia insunt et differunt, idcirco eas sic esse perspicimus ac asserimus. Ratione igitur horum, (idem dic de aliis) quae nobis comperta sunt, rem unam et substantiam a reliquis iure secernimus, concipimusque ut realitatem, quae horum attributorum differentium inter se sit radix. Aliquam igitur realis constitutionis rerum aliquarum cognitionem habemus, quae id, quod nomine essentiae usurpatur, aliqua ratione revera nobis exhibet. Fateor equidem id de omnibus dici non posse, ac innumeras esse naturas, quae nos latent omnino. Quis enim tantum sibi sumat, ut omnium peculiarium specierum animantium, aut plantarum, aut corporum naturas distincte explicare se posse arbitretur? Fateor etiam essentiarum notitiam, quam adipisci in praesenti vita possumus, non esse intuitivam et a priori, sed arguitivam et a posteriori quippe cum inferatur ex effectibus et proprietatibus, quas in rebus attingimus, nec ad omnes essentias singillatim extendi; cum longe plura sint procul dubio, quae viritim ignoremus, quam quae sciamus. Verum haec non vetant quominus de aliquibus saltem, de quibus philosophia investigat, distinctam notionem habeamus, de plerisque autem genericum et inadaequatum conceptum; qui tamen ut incompletam, at aliquam certe realium essentiarum notitiam suppeditat. Denique ut ex iis ipsis, quae Lockius statuit, doctrinam eius coarguamus; sic ratiocinor. Si, eo fatente, essentias nominales, quas nos melius notionales appellavimus, (1) vere cognoscimus; reales etiam a nobis cognosci oportet. Genus enim, et differentia, quibus illae explicantur, non sunt, ut insinuat Lockius, opus duntaxat mentis nostrae, sed idipsum, quod in rebus est, repraesentant adiecto labore mentis, qui tamen quod in obiecto est non pervertit aut fingit (2). Sic notio *generica* animalis, quae substantiam exhibet vi-

(1) Lockianum illud reiecimus vocabulum, ne ansa nomine saltem daretur existimandi essentias eiusmodi esse aliquid ad merum nomen pertinens.

(2) Vide quae in Logica diximus de *genere*, *differentia* etc. Par. 1. c. 1. art. 4. §. 10.

ta, motu intrinseco, et sensu praeditam, id refert, quod in ente eo nomine designato revera inest. Opus autem mentis in eo est, quod obiectum *universaliter* repraesentetur, et praecisa aliqua proprietate essentiali, quae deinceps ad speciem concipiendam instar *differentiae* adiungitur. Ac de cognitione essentiarum satis.

44. Illud, quod ad absolutiorem tum essentiae tum existentiae conceptum pertinet, eorumdem respicit discrimen. Acriter enim disputatum est quondam a philosophis differretne re existentia ab actuali et physica rerum essentia, an secus. Breviter, quoniam res non videtur esse tanti, ut nos detineat, dicimus existentiam etsi ratione et conceptu ab actuali rei essentia discriminetur; ab ea tamen neutiquam re differre. Essentia enim actualis, seu quae non ut possibilis cogitatur sed ut in rerum natura physice extra causas posita, se ipsa existens est, nec opus habet aliqua actualitate aut forma a se entitate distincta, qua existens constituatur. Consuli potest de hac re Suarius (1), qui eam perspicue admodum explicat, adversariorumque rationes ancipiti tantum verborum sensu nitentes luculenter enodat.

ARTICULUS TERTIUS.

De Necessario et Contingente, Mutabili et Immutabili, Temporaneo et Aeterno.

45. Has notiones una coniungimus, propterea quod arctissimo inter se vinculo colligantur, atque aliae nectuntur ex aliis. Ut itaque ex illis, unde reliquae pendent, exordiar, *necessarium* dicitur illud, quod ita est, ut nequeat non esse id quod est: quod contra ita est, ut possit non esse, *contingens* appellatur. Hinc quoniam aliquid duplici pacto nequit non esse, nimirum vel absolute et independenter a quacumque conditione, vel hypothetice seu aliqua suppositione facta; necessitas bifariam dispescitur in absolutam et hypotheticam. Sic necessitas, qua circulo competit rotunditas, absoluta; necessitas, qua sole horizontem subeunte aeri competit illuminari, hypothetica iure audit. Prima vocitata est etiam antecedens, eo quod quamlibet conditionem antecedat, altera dicta est etiam consequens, eo quod suppositionem aliquam consequatur. Illa cum contingentia neutiquam sociari potest; repugnat enim aperte quidpiam absolute omnique conditione semota necessarium esse, idemque contingens. At altera necessitas, nimirum hypothetica, contingentibus etiam convenit; quippe etiam id, quod contingenter est, dum est nequit non esse, seu hypotheticam necessitatem induit. Denique absolute necessarium bifariam sumitur, rigido videlicet sensu quatenus suae necessitatis rationem aliunde non repetat sed in se habeat, qualis tantum est Deus O. M. vel mitiori quatenus suae necessitatis rationem ab

(1) Metaphys. t. 1. Disp.

alio necessario, quocum connectitur, in se derivet. Huiusmodi sunt veritates omnes necessariae ac rerum essentiae possibiles, quae absolutam quidem necessitatem habent, at eius rationem sufficientem in divina natura et intellectu, quibuscum necessario connectuntur, agnoscunt.

46. Hinc intelligitis quid nomine entis necessarii quidve contingentis veniat. Ens enim necessarium idem est ac necessarium in ratione existentiae, seu id, cuius existentia absolute est necessaria; contra ens contingens id audit, cuius existentia contingens est, seu ita est, ut potuerit non esse. Quare cum collectio existentiarum contingentium nonnisi in existentia aliqua necessaria rationem sui sufficientem habeat, ex entium contingentium existentia (ut in Theologia naturali videbimus) existentia entis necessarii demonstratur. Nam quemadmodum ens necessarium rationem sufficientem cur existat, habet in se, cum sit natura sua determinatum ad existendum, atque hoc eius conceptum et naturam constituit: sic contra ens contingens rationem sufficientem suae existentiae extra se positam habet. Cum enim sit indifferens ad existendum vel non existendum; si natura sua existeret, determinatum suapte vi esset ad existendum, ac proinde foret quoad existendum indifferens et non indifferens (1), quod contradictorium est. Quare quicquid est eiusmodi, id externam causam, a qua ad existendum determinetur, exposcit. Quae ratiocinatio non pro uno tantum aut altero, sed pro qualibet entium contingentium serie institui debet.

47. Conceptui necessarii et contingentis admodum affinis est notio *mutabilis* vel *immutabilis*. Quidquid enim est necessarium, id, in quantum eiusmodi, immutabile etiam esse convincitur. Secus est de contingente; quod, ut tale, mutationi est obnoxium. Est enim mutatio *ex uno in alium statum veluti transitus*; mutarique ens dicitur, *cum incipit se habere aliter, quam ante erat*. Quamobrem capacitas mutationis suscipiendae vigere nequit, nisi in ente, quod circa id, in quo mutari potest, sit indifferens, seu quod circa illud se habeat contingenter. Contra in iis, in quibus ens ita est, ut nequeat non esse; seu in quibus *necessarium* est, mutari non potest. Hinc elucet posse ens mutabile nuncupari aut quoad existentiam, aut quoad ea, quae existentiam consequuntur; itemque aut interne aut externe. Mutabile quoad existentiam illud erit, quod existentiam habere potest vel amittere; idque nonnisi in entibus contingentibus locum habet. Haec enim utpote suapte vi ad existendum indifferentia, quemadmodum, ni Deus condidisset, numquam existentiam recepissent; sic, si Deus permanere ea nollet, in nihilum iterum relaberentur. Mutabile vero quoad ea, quae existentiam consequuntur, id dicimus, quod in affectionibus sibi inhaerentibus variari potest atque perfectionis augmenti vel decrementi est capax. Haec etiam mutationis capacitas entium duntaxat contingentium est propria, nec ulla ratione in ente necessario

(1) Vide quae de hac re contra Beguelinum disputavimus cap. 1. art. 5.

reperiri potest. Quod enim natura sua determinatum est ad existentiam, determinatum est etiam quoad ea, quae intrinsecus existentiam comitantur et afficiunt. Utraque mutabilitas, quae exposita est, interna mihi audit, quippe cum ipsum ens, cui tribuitur, aliqua ratione variet ac immutet. Considerari tamen praeterea potest mutabilitas quaedam externa, ex eo quod ens in se reapse non varietur, sed extrinsecam tantum relationem et respectum mutet. Pone, exempli gratia, si, me circa immotam columnam ambulante, illa cum prius dextrorsum mihi esse diceretur, stare deinceps dicitur sinistrorsum. Patet enim evidenter in columna nullam interne factam esse mutationem, sed externe tantum quoad denominationem et respectum. Mutatio potius, si qua fuit, in me contigit, qui ex uno loco discessi in alium. Mutabilitas eiusmodi nullam imperfectionem includit; atque ideo enti necessario non repugnat. Denique abservandum est, ens mutabile quandoque strictissima significatione usurpari, pro ente nimirum, quod non utcumque sed successione quadam et pedetentim mutatur (1) sive loco, sive quantitate, sive qualitate. Sic se habent corpora, quae motu locali tranferri possunt; sic plantae, quae augmenti et nutrimenti vices subeunt; sic animantia, quae generantur et corrumpuntur aliasque successivas subeunt iugiter mutationes.

48. Venio tandem ad conceptum aeternitatis et temporis, quibus duae species durationis significantur. Porro duratio non est aliud nisi *existendi permansio*, seu, *perseverans entis existentia*. Ex quo patet eius conceptum, utpote universaliorem atque abstractiorem, non esse cum conceptu temporis confundendum; ut faciunt ii, qui quamlibet durationem sucessioni admixtam esse opinatur. At hi opinionis errore falluntur, et speciem cum genere commiscent perperam; ut ex dicendis perspicuum erit.

Ex allata durationis descriptione illud fit manifestum, quod ut diversae dantur species existendi, sic diversae sunt species durationis. Iam age ens necessarium, cuius notionem descripsimus

(1) Haec maxime mutatio est, quae in hoc ponitur ut subiectum, quod afficit, non repente ad terminum, in quem tendit, ferat; sed in via potius, qua ad illum ducitur constituat ipsumque proinde ita actuet, ut in aptitudine adhuc aliqua respectu termini relinquat. Exemplum habes perspicuum in motu locali. Hic, si acute attendis, in ipso transitu corporis ex uno loco in alium cogitandus est; atque in eo praecise cernitur quod res, quae movetur, a puncto, unde discedit, in terminum, ad quem indeterminate ferri concipitur, provehatur; illum tamen nondum attigerit. Sic cum corpus, motu accepto, a loco ubi antea quiescebat, in alios indefinite fertur, ratio motus inde habetur quod ita corpus illud in punctis spatii, quod percurrit, inveniatur, ut ibi non sistat, sed migret in alia. Secus si ab hoc cogitationem avocas, non motum dum peragitur, sed qui peractus sit, cogitabis. Idem dic de ceteris successivis mutationibus. Sumatur ex. gr. calefactio. Mutatio corporis, quod calefit, in ipsa inductione vel evolutione calorici sita est, qua corpus illud ex eius carentia ad eumdem in determinato gradu acquirendum ducitur.

§. 46. ita extare oportet, ut suapte natura undique sit immutabile non modo in existentia, sed etiam in modificationibus; atque non solum principium et finem existendi suscipere nulla ratione possit; verum etiam nullas vices subeundi sit capax. Haec itaque duratio entis necessarii et omnino immutabilis (1) *proprie* (2) *aeternitas* nuncupatur. Quae sapienter definita est a Boëtio (3) *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*. Quae quidem descriptio optima est et veram aeternitatis notionem exhibet. Nam in eo, quod dicitur *interminabilis*, significatur carentia principii et finis, exorta ex ipsa illius entis natura. Per *vitam* exprimitur existentia eiusdem entis, quod, utpote perfectissimum, vita praeditum esse oportet; vita autem viventibus est esse. Denique cum additur *tota simul et perfecta possessio*, mutatio omnis et interna vicissitudo excluditur, sive quoad perfectiones quascumque, sive quoad actiones entis aeterni. Ex quo elucet durationem istiusmodi soli Deo posse competere, qui duntaxat adeo stabilem habet existentiam et immutabilem undique; ut vi suae naturae initio et fine careat, nec in suis internis perfectionibus queat variari. His explanatis intelliges in aeternitate nullam esse partium successionem (4), nec *transactum* aut *futurum* proprie reperiri, sed tantum *praesens*. Quod ipse Plato acute perspexit inquiens in Timaeo: *erat et erit non recte aeternae substantiae assignamus*. Attamen aliquo sensu solemus quandoque sine errore has etiam voces enti aeterno tribuere, dicimusque ipsum esse, fuisse, et futurum esse. A quo loquendi modo

(1) Adverte perseverandi conceptum, qui duratione quavis continetur, a nobis negative per *non desitionem* intelligi. Neque ex hoc inferas ipsam durationis notionem negativam esse. Est enim reapse positiva, admixtam tamen habens negationem eiusmodi; siquidem existentiam repraesentat, quae non desinit permanetque.

(2) Hoc adnoto, quia minus proprie duratio etiam entis contingentis et mutabilis, si non solum fine sed etiam initio careret (quam tamen impossibilem esse alias demonstrabimus) aeternitas etiam vocari solet. Atque hoc sensu agitatur quaestio: possibilisne sit mundus aeternus. Imo vero quandoque etiam duratio, quae initium habet, si finem non sit habitura, suevit aeternitas vocitari. Sic animus humanus aeternum duraturus dicitur. Hanc tamen Storchenavius aevum nuncupavit (Ontol. sec. 3. cap. 7. §. 212.)

(3) De Consolat. Philos. l. 3. pr 2.

(4) Graviter in hoc erravit Genuensis, qui (Metaph. p. 1. c. 11. pr. 144.) imprudenter asseruit in aeternitate, etsi successio physica nulla sit, adesse tamen successionem metaphysicam. Quod dum dixit, non consideravit profecto informari mente non posse conceptum successionis cuiusque, quin notio diversitatis in existendo et mutationis cuiusdam una pariter concipiatur. Ac proinde ubi haec desit, illam etiam istinc exulare omnino oportet. Fortasse deceptus est ex eo, quod nos, rebus temporaneis assueti, phantasiae lusu in ipsa aeternitate fluxum quemdam et extensionem imaginemur. At totum hoc non in iudicio et conceptu mentis est, sed in repraesentatione phantasiae; diligenti autem philosopho cavendum est ne iudicium et ideam mentis cum phantasmate imaginationis confundat.

ut error omnis arceatur, observandum est in conceptu praeteriti et futuri contineri simul positionem aliquam ac negationem. Cum enim aliquid dicitur extitisse, existentia ipsi tribuitur ante praesens tempus, atque ita, ut fluxerit eaque duratio nunc eadem non maneat. Cum vero dicitur futurum, item existentia asseritur, at quae nondum habita sit, sed in posterum sit habenda. Iam age istae notiones quoad partem illam negantem aeternitati non conveniunt, conveniunt tamen quoad affirmantem. Antequam enim tempus praesens fieret, reapse eadem, quae nunc est, stabat aeternitas; ac postquam praesens hoc tempus fluxerit, aeternitas eadem permanebit, absque tamen sui mutatione aut vicibus. Ex quibus eliam illud elucet rectam aeternitatis notionem a nobis efformari per abstractionem limitum et successionis, quae in creata quavis duratione invenitur: non vero ut Lockius perperam ratus est (1) per iugem temporis additionem. Sed iam ad conceptum temporis veniamus.

49. Etsi tempus iugiter metiamur, ipsoque nos et visibilia omnia contineamur; tamen eius notio est ad definiendum difficillima (2). Equidem, quantum rem hanc perpendere potui, tempus proprie nihil aliud esse existimo, nisi *durationem entis successivi*, vel *mutabilis* ea mutatione maxima, quam descripsimus paulo ante §. 47. Nam tempus durationem esse quandam perspicuum est: eo enim rerum aliquarum in existendo intelligimus perseverantiam. Continenti vero et iugi mutationi permixtum esse patet, quia extensionem et partes in suo conceptu includit, ita tamen ut nulla permaneat, sed omnes fluant assidue. Hoc autem nonnisi mutationis, de qua dixi, proprium est. Ad hanc igitur pertinet tempus atque ideo ea omnia, quae illi subduntur, in tempore sunt, et temporis spatiis dimetantur. Qua in re animadvertendum est ens quidem omne contingens mutationibus quibusdam, ut diximus, esse obnoxium. At mutationes huiusmodi esse possunt vel instantaneae, seu quae simul perficiuntur, et non in continuo fluxu positae; qualis est mutatio quae in entibus spiritualibus cernitur dum ex una operatione ad aliam gradiuntur; vel esse possunt eiusmodi, ut fiant cum mora, successione continua, atque ita ut in perenni variatione ponantur, qualis est motus localis corporum, aut quaevis alia eorumdem successiva mutatio. Superiores illae, quas diximus, mutationes tempore proprie dicto non videntur contineri, sed earumdem duratio aut *tempus improprie dictum*, aut *tempus spiritibus com-*

(1) Essai concern. l'Entend. hum. liv. 2. ch. 14.

(2) Pulchra sunt Augustini verba, quibus hanc difficultatem eleganter exprimit. Sic enim ait (Confessionum lib. 11. c. 17.) ,, Quid enim est tempus? Quis hoc facile breviterque explicaverit? Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius et notius in loquendo commemoramus, quam tempus? Et intelligimus utique cum id loquimur, intelligimus etiam cum, alio loquente, id audimus. Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quaerat, scio; si quaerenti explicare velim, nescio; fidenter tamen dico scire me quod si nihil praeteriret, non esset praeteritum tempus; et si nihil adveniret, non esset futurum tempus; et si nihil esset, non esset praesens tempus. etc.

petens, aut simpliciter *duratio creata*, aut alio quo lubet nomine appellabitur; Scholastici *aevum* nuncuparunt. At posteriores, quae longe imperfectiores mutationes sunt, duratione sua tempus constituunt; in quam ea omnia quadrant adamussim, quae in conceptu temporis insunt. Atque id ipsum docere voluisse opinor Galluppium, cum tempus in causalitate reponendum esse dixerit (1). Qua in re animadvertendum est, quod licet, quia motus effectio quaedam est et causalitas, dici idcirco recte possit tempus in causalitate reponi; tamen duo in hoc addenda videndur: primum, non in qualibet causalitate, ut ea etiam est, quae in instanti peragitur, sed in causalitate, quae continuam successionem includat, tempus proprie reperiri; deinde tempus in ea situm esse non praecise quatenus causalitas est, seu exercitium activitatis causae, sed quatenus est mutatio quaedam moram et successionem involvens quoad sui durationem inspecta. Atque haec de tempore delibasse sufficiat: tantum finem faciens observo, nos ex consideratione temporis, quod est in rebus, consuetudine adduci ad tempus aliquod imaginarium cogitandum: quod concipimus veluti intervallum aliquod durationis successivae initio et fine carentis, quod ab aeternitate fluxerit. Ex quo ludicro phantasmate, quod ab usu durationem rerum creaturum considerandi in imaginatione oritur, ansam desumpsit Kantius existimandi tempus esse *intuitionem quamdam puram* a priori in nobis *enascentem tanquam formam sensibilitatis internae*. At commentitia istaec opinio, quae unum est non leve ex idealismi transcendentalis propugnaculis, mole ruit sua vi proximae animadversionis, qua tempus imaginarium a reali distinximus, eiusque explicuimus genesim.

ARTICULUS QUARTUS.

De Finiti et Infiniti, Simplicis et Compositi, aliisque affinibus notionibus.

50. Finitum, ut ipsum nomen innuit, id intelligitur, quod limitibus circumscribitur; infinitum contra, quod est confinium ac limitum expers. Has notiones ex ipsa consideratione obiectorum realium efformamus. Nam, sive nos ipsi per conscientiam, sive obiecta reliqua per ceteras cognoscendi vires attingimus, ea in sui perfectione atque activitate non ad omnia se protendere, sed ab aliis

(1) Lez. di Log. e Met. vol. 5. lez. 114. Enimvero aliqua hic habentur, quibus videtur satis expresse eandem prorsus, ac nos, amplecti sententiam. Exemplo sint haec verba: ciò supposto, io domando ai difensori del tempo indipendente dalle cose che mi mostrino la misura del tempo, acciò io possa applicarla ad un tempo determinato e misurarlo. Eglino mi rispondono che la misura del tempo è il moto. Il tempo, io dunque concludo contro di loro, è la stessa cosa del moto e non è diverso dal moto; poichè la misura è la stessa cosa del misurato e non differisce dal misurato che per la diversa grandezza (Ibidem).

superari, ac tum ad augmentum tum ad decrementum recipiendum idonea esse perspicimus. Ex quo fit ut eadem quibusdam coërceri finibus et quasi terminis concipiamus, quod omne, ut patens est, finiti conceptum exhibet. Porro hic, ut perspicis, non omnino negativus est et in praevia infiniti notione fundatus, quemadmodum Cartesiani contendunt, sed partim est affirmans, (affirmat enim realitatem aliquam, ac perfectionem, quam certe ens eiusmodi complectitur) partim negans (siquidem removet ulteriorem perfectionem, qua finitum caret) ipsamque negationem, quam includit, non ex infiniti cognitione eruit, sed ex perceptione alterius realitatis, qua ens finitum vel in se augeri potest, vel ab aliis discriminatur eisque cedit. Habita vero finiti notione, ad infiniti conceptum assurgimus non per iugem additionem finiti, ut Lockio opinari arrisit (1) (quae tamen, quantumvis proferatur, praebere aliud revera non potest, nisi finitum altero maius) sed in conceptum eiusmodi devenimus solius ope abstractionis, quae a notione realitatis ac perfectionis, quam contemplamur, limites ac terminos abiicit. Atque huius abstrahendi facultatis adminiculo, non modo infiniti in determinato genere, puta virtutis, extensionis, durationis, procudimus; sed infiniti undique absoluti, omnique parte completi, notionem etiam conflare possumus. Cum enim realitas et perfectio suapte vi ad hunc potius aliumve gradum non adstringi perspiciamus; limites quoscumque, aut defectus inde secernimus, atque ens quoddam nobis repraesentamus, quod puram omnem perfectionem realitatemque in se ita simplicissime complectatur, ut terminis nullis definiatur; cuius deinceps realem existentiam ex existentia entium finitorum evidenter inferimus, quemadmodum in Theologia naturali patebit.

51. Notionem hanc infiniti simpliciter, ac undequaque perfecti, quam descripsimus, non nisi enti necessario competere posse quisque facile per se perspicit. Ens enim contingens, ut ex superioribus patet, non solum ab alio, quoad existendum pendet, sed etiam ratione multiplici mutabile est, atque ideo augmenti, vel decrementi capax. Excludit igitur necessario a se independentiam ac necessitatem existendi, et immutabilitatem, quae sunt perfectiones maxime, ideamque suppeditat confinium quorumdam, quibus teneatur, ex quorum veluti mutatione fiat, ut perfectione aliqua spoliari aut nova augeri possit. Praeterea quodlibet ens contingens, non est ipsa absoluta realitas, sed huius veluti participatio, et quasi rivulus. Sed conceptus eiusmodi notionem sibi implicat coarctationis, confinii, mensurae. Ens ergo contingens, non nisi numeris quibusdam adstrictam realitatem suscipere potest. Quare perfectio infinita si possibilis est (esse autem possibilem ex eo patet quod nullam conceptuum pugnam includit) nonnisi in ente necessario hanc suam possibilitatem habet, seu nonnisi enti necessario competetere potest. Denique ens contingens distingui profecto debet ab en-

(1) Essai philos. conc. l'entend. hum. Liv. 2. ch. 17.

te necessario, tum quia diversissima est utriusque natura ac notio, tum etiam, quia illius effectus est; effectus autem distinguitur a causa. Carere igitur debet iis constituentibus, quibus natura ipsa entis necessarii physice constat: quippe cum res quaevis iis a ceteris secernitur ac differt, quibus constituitur. Atqui infinita perfectio et simplicissima realitas omnibus absoluta limitibus id revera est, quod ens necessarium, nempe Deum, physice in se constituit, quemadmodum in theologia naturali videndum erit. Hoc igitur in nullo ente contingente ac creato inveniri uspiam potest. Quamobrem omne ens contingens finitum est, et omne ens finitum contingens est.

52. Ex dictis apparet etiam ens omne contingens, quod ut diximus finitum in natura ac perfectione esse oportet, habere non posse vim infinitam seu activitatem sine fine perfectam. Haec enim ex essentiae emergit realitate, ac proinde principium, unde fluit, superare non potest; nisi effectum sua causa praestabiliorem stulte confingimus. Ut illud omittam, quod activitas utpote medium ad finem aliquem attingendum enti tributum, a fine, quem respicit, mensuram accipiat; finis autem entis circumscripti et finiti, cum finitam naturam perficere debeat in eaque recipi, subiectivo, seu prout ipsum afficit, nonnisi finitus ac determinatus esse potest.

Nec huic veritati quidquam obest quod creatura rationalis pro fine habeat Deum ipsum, qui certe infinitus est. Nam obiectum eiusmodi finite tantum consequi illa potest. Proinde actio, qua ipsum attingit et ad quam activitas intellectualis, qua fruimur, ordinem habet, licet obiectum respiciat infinitum, atque ideo *infinita extrinsecus* dici possit; tamen subiective et entitate sua finita est. Vires autem agendi mensuram desumunt a fine non prout in se est, sed prout consecutione capiatur, ac subiectum, quod in ipsum tendit, afficiat. Hactenus de notione finiti et infiniti; ad conceptum compositi et simplicis veniamus.

53. Compositum id audit, quod ex pluribus simul iunctis aliqua ratione coalescere concipitur; quod vero ita intelligitur et est, ut ex pluribus non coalescat, simplex appellatur. Ex quo oppido liquet conceptum simplicis non esse omnino negantem inque sola partium exclusione positum, sed positionem includere, nimirum ipsam entis realitatem, ex qua tamen exclusio partium, seu negatio compositionis emergat. Cum vero composito, ut patens est, opponatur, ex diversis compositi speciebus, diversitas etiam simplicium innotescit. Porro compositum triplex cogitari potest: *reale, logicum*, *metaphysicum*. Primum est, quod ex partibus aliqua reali distinctione diversis conflatur; alterum, quod ex partibus sola cogitatione distinctis; tertium denique, quod ex pluribus sola distinctione formali discriminatis exurgit, (1). Iterum compositum esse potest aut essentiale, ut homo ex anima et corpore con-

(1) Recolantur ea quae in superiori capite de distinctione tradidimus. Art. 2. §. 26.

stans; aut modulo, ut substantia quaevis modis affecta, puta globum eburneum ex figura rotunda et ebore constantem; aut denique, ut appellant, integrale, quod ex partibus non ad rei essentiam sed ad quantitatem pertinentibus coalescit, pone corpus humanum, quod variis conflatur membris, aut numerum quemvis, qui ex unitatum additamento resultat. Ex quo illud etiam patet, quod compositum ratione quantitatis, quae definitur *positio partium extra partes*, dupliciter haberi possit, aut ratione numeri seu collectionis unitatum, aut ratione extensionis. Haec vero cum partes habere queat non singularum propriis, sed comunibus gaudentes limitibus, aut secus: idcirco fit, ut extensio in continuam, quam etiam mathematicam appellant, et contiguam, quam nonnulli physicam vocant, soleat dispartiri.

54. Hisce explanatis ad aliqua, quae compositum spectant, gradiamur. In primis itaque illud constat, omne ens compositum finitum esse actu (1). Nam quaevis pars, quae revera actu ipsi inest, finita sit oportet; siquidem iunctione aliarum incrementum accipit, et a toto superatur composito. Infinitum autem, quod augeri possit ac excedi, chimericum est et notis mutuo pugnantibus coalescens. Unde emergit omne ens compositum esse contingens, nec posse omnimodam simplicitatem, nisi in ente necessario comperiri. Existit hinc secundo dari non posse extensionem ullam aut numerum actu infinitum. Quod quidem evidenter elucet non modo propter generalem compositi rationem, quam nuper ediximus, verum etiam propter peculiarem quantitatis conceptum, ad quam ut species magnitudo molis, et multitudo unitatum pertinent. Est enim e notione quantitatis, ut in mathesi pueruli etiam norunt, augmenti et decrementi capacitas. Quare si extensio aut multitudo actu infinita daretur; aliquid esset, quod, quia *quantum*, augeri et imminui posset; quia *infinitum*, augmentum et decrementum omne respueret. Qui conceptus, ut optime quisque perspicit, non minus inter se pugnant, quam rotunda quadratis.

55. At enim inquies nos habere ideam spatii, et cuiusdam extensionis infinitae, quae concipitur veluti capacitas recipiendorum corporum, trinam habens dimensionem in longum, latum, et profundum, attamen nullis terminis contineatur. Verum reponimus argumentum eiusmodi nil prorsus evincere; non enim quidquid acstu phantasiae fingimus, id continuo in veris ac realibus esse oportet. Sed ut melius difficultatis solutio appareat, consentaneum erit de notione spatii infiniti, ad quam me adduxit adversarius, longiorem aliquanto sermonem instituere. Mirum enim est quantopere hac in re delirarint philosophi, quotque protulerint absurdissima. Nonnulli enim, ut

(1) Hoc diximus, quia infinitum in potentia, quod aiunt, enti composito non repugnat, quatenus licet actu semper finitum sit, possit tamen ulterius usque augeri, quin ad fixum ullum terminum deveniatur unquam, praeter quem deinceps non liceat progredi. Sic quantitas divisibilis est in infinitum, quia in quotcumque secetur partes, potest iterum in alias parviores dissecari, quippe cum illae etiam quantae sint.

Clarkius, eo progressi sunt, ut dicerent huiusmodi expansionem infinitam, quam lusu phantasiae imaginamur, ipsam esse immensitatem Dei, quos tamen in Theologia naturali, ut par est insectabimur. Alii vero, ut Gassendus, opinati sunt ipsum aliquid esse incorporeum, non tamen spiritum, quod triplici dimensione constaret in longum, latum et profundum; quae dimensiones a corporeis sat differrent, essentque incorporeae, improductae, et a Deo nequaquam pendentes. Alii iterum existimarunt substantiam quamdam esse corpoream, vel saltem reale quid et absolutum a corporibus, tamen a ceteris omnino diversum. Denique, ne omnes recenseam, Kantius ratus est spatium esse intuitionem quamdam puram et formam sensibilitatis externae, vi cuius singula corpora extensa esse cogitaremus. Sed delirantium sunt haec insomnia, quae omnino a veritate discedunt. Nam Kantiana opinatio idealismum supponit ac formalismum; et extensionem corporum obiectivam saltem a cognitione nostra ablegat. Ceterae autem opiniones rem confingunt, quae simul composita sit et simplex, necessaria et ad creata pertinens, incorporea et dimensionibus constans etc. monstrum nimirum conceptuum pugnis ac multimodis scatens absurditatibus. Ut itaque rem hanc dilucide explicemus, animadvertendum est corpora, quae adspectabilem hanc rerum universitatem conflant apte disposita esse inter se et ordinata, ita ut alia aliis contineantur. Quare corpus quod intra suas dimensiones aliud continet, erga illud vices gerit tamquam receptaculi; quod autem nullo continetur, ipsum sibi est receptaculum sui. Hinc notio in nobis spatii realis ingeneratur, quatenus concipimus dimensiones corporis unius aliud ambientis, quas inter corpus aliquod locari potest, aut dimensiones superficierum eiusdem corporis, quod continet seipsum, quas inter substantia illius revera locatur. Et sane cum spatium dimetiri volumus, aliud revera non facimus, nisi quod distantias eas dimetamus, quae aut inter extremas partes superficierum eiudem corporis, aut inter superficies alterius corporis, quae illud ambiunt, intercedunt. Quapropter spatium reale non est quid absolutum ab ipsis corporibus extensione gaudentibus; sed in re aliud non est quidquam, nisi aut dimensiones ipsae corporis eiusdem prout inter se distant et substantiam corporis, quod afficiunt, continere concipiuntur; aut dimensiones corporis, quod circumstat, prout ad corpus aliud inter ipsas constituendum referuntur. Vacuum vero quod inter eas superesset, si corpus contentum in nihilum redigeretur, revera nihil est, et in tantum mensurae capax concipitur, in quantum distantia corporum, quae illud intercipiunt spectatur, vel extensio corporis, quae ibi locari posset cogitatur; non vero quasi in se reali extensione coalesceret, cuius partes metiri possemus; extensio enim, ut patens est, nonnisi in corpore invenitur. Ex hac *spatii realis* notione, quam cogitare in corporibus assueti sumus, ad *spatii imaginarii* conceptum assurgimus, quod concipimus veluti capacitatem locandorum corporum, sine mutatione aut terminis, eique imaginando trinam addimus dimensionem longitudinis,

latitudinis, profunditatis, eo ferme modo, quo concipimus in corporibus. Verum hic conceptus nihil reale extra cogitationem existens revera repraesentat; sed partim ex notione possibilitatis cuiusdam, partim ex phantasmate imaginationis componitur. Nam quaenus capacitatem collocandorum corporum amplectitur, nil aliud nisi ipsam possibilitatem spatii realis, quod proxime descripsimus reapse exhibet. Hoc ipso enim quod corpora sunt possibilia, ac si existerent spatium reale praeberent, seu physicam eorumdem locationem; capacitas huius seu possibilitas mente informari potest. Ac quoniam possibilia corpora nullo numero coërceantur; idcirco est quod haec capacitas ut infinita concipiatur. Itemque cum rerum possibilitas, ut alias diximus, immutabilis sit et aeterna; hinc etiam fit ut capacitas haec abstracta corporum collocandorum, seu spatium imaginarium ut quid aeternum concipiatur. Denique quia sic in possibilitate sui inspecta ab actuali existentia corporum non pendet; idcirco est quod ut absoluta et rebus ceteris non innixa cogitetur. Atque id omne ad intelligentiam, quae rerum possibilitatem contemplari potis est, pertinet. Huic vero ludicrum aliquod phantasma imaginationis adiungitur, quatenus haec cum nihil, nisi corporeum et extensum repraesentare sibi valeat, et actum intelligentiae in capacitate, quam diximus, cogitanda comitetur, trinam ibi fingit dimensionem; atque ita fallax aliquod procudit spectrum, quo, qui parum diligenter cogitationum nostrarum atuntur examine, facile hallucinantur. At accurati philosophi est imaginationem ab intelligentia scite secernere ad cavendas deceptiones. Hinc, ut ad obiectam difficultatem redeam, ipsamque concludam aliquando, aio nil posse ab idea hac spatii imaginarii pro eiusdem adstruenda existentia desumi. Evidenter enim ex ea parte qua imaginaria est nihil probat; cum, ut dixi, non quidquid imaginatione confingitur, id continuo existens aut possibile esse oportet. In qua autem parte ad intelligentiam pertinet, non quid infinitum revera, sed indefinitum, seu infinitum non actu sed potentia exhibet, et quidem eiusmodi ut ab ipsa possibilitate spatii realis non sit diversum.

56. Opponens fortasse iterum ad extensionem vel multitudinem actu infinitam adstruendam. Potentia reduci debet ad actum. Atqui datur infinitum in potentia, ut ante concessum est: nam quantitas augeri iugiter potest et dividi in infinitum, et intellectus sine fine conceptus efformare sibi potest. Ergo multitudo aut extensio actu etiam infinita dari debet.

Resp: *Dist. Maior.* Potentia reduci debet ad actum eo modo, quo ad illum habet ordinem relationemque, *conc.* secus, *nego.* Ad *min.* pariter *Dist.* existit infinitum in potentia quatenus extat aliquid, cui quodcunque decrementum vel incrementum finitum accedat, hoc nunquam est ultimus terminus, quem transilire non liceat, *conc.* quatenus detur aliquid, quod incrementi vel decrementi maximi et nullis circumscripti limitibus habeat capacitatem, *nego.* Quo sensu infinitum, ut aiunt, in potentia admitti debeat satis dilucide innuimus supra. Non enim id perinde intelligendum,

quasi res adsit vel capacitas, quae nobis aut numeri, aut qualiscunque realitatis actu sine terminis habendae sit compos. Id enim omnino repugnat. Verum ita intelligi debet, ut aliqua extare fateamur, quae novi quidpiam semper suscipere possint, quin unquam extremum aliquod adveniat, quod ultra nos progredi conceptu saltem vetet. Sic divisibilitas in infinitum quoad quantitatem hoc sensu adest, non in quantum inveniatur habilitas ad divisionem in partes actu infinitas; sed quatenus in quotascumque particulas corpus extensum dissecetur, hae iterum sine fine in alias atque alias discerpi possunt, aut novi limites a prioribus differentes in quantitate aliqua iugiter designari queant; ita tamen ut partes, quae actu habentur, semper finito numero contineantur, limesque actu determinatus finitam semper indicet quantitatem. Idem dicatur de mole iugiter augenda vel minuenda; idem de intellectu, qui quamdam infinitam capacitatem habere dicitur. Quae quidem in eo vertitur non quod infinitos actus simul elicere mens possit, sed quia quotquot elicit, semper vim retinet alios deinceps eliciendi, quin unquam ad terminum deveniatur.

Instabis. Deus intelligit multitudinem actu infinitam; ergo eam condere potest.

Resp. Deum intelligere hanc multitudinem actu infinitam tamquam impossibilem et chimericam; id vero tantum a Deo creari posse, quod ab ipso ut possibile intelligitur et repugnantiam nullam involvens.

ARTICULUS QUINTUS.

De Substantia aliisque quae ad ipsam pertinent.

57. Experientiam sive externam sive internam consulentes entia sic extare deprehendimus, ut licet quaedam, quae ad ipsa spectant, varientur; ipsa tamen in sui natura immota supersint ac maneant. Sic per conscientiam novimus cogitationes in nobis volitionesque, aliaque, quae nos afficiunt, permutari novisque succedentibus evanescere; nos tamen ipsos eosdem persistere. Sic iterum exteriorem naturam contemplando, animantia ceteraque corpora non viventia mutationes nonnullas suscipere contuemur, quin tamen ipsa extare desinant. Hinc efficitur ut facili ratiocinatione duplicis generis realitates concipiamus, aliquas, quae in se non extant, sed subiectum aliquod afficiunt; alias, quae illis substant nec ulli inhaerent subiecto sed in se ipsae subsistunt (1). Superiores appellantur *qualitates*, *accidentia*, *modi*, de quibus insequenti articulo sermocinabimur; posteriores vero dicuntur substantiae, de quibus hic quantum satis est eloquemur. De eiusmodi igitur notione, ut ex ipsa huius genesi patet,

(1) Genesis ista horum conceptuum experimento rerum existentium nixa per se ipsa refellit Transcendentales, qui notiones eas a priori in nobis inesse autumant veluti subiectivas duntaxat intelligentiae formas.

id statuendum constat substantiam in hoc reponi quod *ens* sit *per se stans* nimirum *in se existens*, seu *alio, cui tamquam subiecto inhaereat*, in *existendo non indigens*. Nam quod modis nonnullis vel qualitatibus subsit , id substantiae notio necessario non infert, quia aliqua revera adest qualitatibus subiecta nullis, quemadmodum de simplicissima Dei natura in naturali Theologia explicabimus.

58. In substantiae obiectivam notionem redeuntes tria in re huiusmodi cogitanda perspicimus: primum, quod existat et quidem in se; alterum, quod vi aliqua ad operandum idonea perfruatur (1); tertium, quod se ipsa possideat sitque sui iuris in existendo. Primum, ut dixi, proprie et praecise notionem constituit *substantiae*; alterum conceptum praebet *naturae* (2), quae definiri potest *substantia* vel *essentia prout vim ad operandum involvit*: postremum denique ideam *suppositi* praebet, quod revera non est aliud, nisi substantialis natura prout se ipsam possidet nec cum altero se communicat, atque ideo plenum est ac adaequatum suarum operationum principium. Modus autem sic consistendi in se, ex quo fit ut substantia semet cum nemine participet, sed se ipsa possideat, *subsistentia* nominatur. Quare suppositum concipi debet ut complexum quoddam ex substantiali natura et subsistentia, potestque definiri ita, ut dicatur esse *substantia undique completa sui iuris et alteri incommunicabilis*; quae tamen, si intellingentia perfruatur, non simpliciter suppositum, sed peculiari et digniori nomine persona nuncupatur, quam rite definies *substantiam rationalem completam sui iuris et alteri incommunicabilem*. Quae definitiones iis congruunt adamussim, quas olim Boëtius tradidit (3) vir non modo philosophiae sed etiam theologiae apprime consultus. Qui suppositum descripsit ita, ut sit *completae naturae individua substantia*; personam vero definivit *rationalis naturae individuam substantiam*. Ubi tamen adverto vocem *individuam* non pro *singulari* tantum, sed pro *incommunicabili* usurpari; quandoquidem id revera omnino *individuum*, seu non divisum in se et divisum a quolibet alio dicendum est, quod non modo singularis natura sit, sed etiam cum nemine ulla ex parte communicandum. Natura autem utut singularis, adhuc tamen communicabilis est, ut declarabimus non multo post, cum quaestiones nonnullas de hac re theologiae magnopere utiles delibabimus: sed ante perniciosi quidam errores circa notionem substantiae refelli debent.

(1) Hoc quidem apertius constabit inferius, cum subtantias creatas vera perfrui activitate contra Occasionalistas propugnabimus. Sed iam nunc patere potest ex eo, quod quaeque substantia cum ad finem aliquem, ad quem spectet, dirigi debeat; operatione etiam, qua illuc nitatur, instruenda sit.

(2) Vocabulum naturae licet ad sensum huiusmodi a nobis determinatum significandum revera usurpetur, tamen, utpote per se vagum, ad alios etiam aliquando torqueri solet. Sic nonnunquam significat auctorem ipsum naturae, nonnumquam rerum creatarum universitatem, nonnumquam solam rei essentiam prout suis notis vel characteribus constituitur.

(3) De Consolat. Philos. l. 1.

59. Ac quidem occurrit in primis definitio Cartesii, qui substantiam dicit esse *rem quae ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum.* (1) Quae definitio, ut verum fatear, interpretationis lenitate in bonam partem facile torqueri potest; si nimirum ita intelligatur, ut substantia non excludat rem aliam, a qua pendeat ut a causa, sed eam tantum, a qua pendeat ut a subiecto cui inhaereat. Et sane in hoc sensu a Cartesio prolatam esse libenter existimamus (2). Attamen satis accurata, qualis definitio esse debet, non videtur; propterea quod si severe, ut verba sonant, accipiatur, Deo duntaxat competet, qui unus a re nulla quoad existendum pendet (3). Quare ea abusus est Spinoza ad Pantheismi excitandum monstrum. Ex quo fit, ut ipsam approbatione dignam non iudicemus.

60. Multo nocentior Cousiniana definitio esset qua sancitur (4) substantiam esse *ens quod nihil supponit ultra se in ordine ad existendum.* Si enim vere, ut verba sonant, accipi velit; nonnisi increatae substantiae, Deo nimirum, competit. Et sane ipsius auctor unitatem illinc substantiae derivabat, ceteris omnibus in classem phaenomenorum coniectis. Quocirca definitio istaec manifeste, et ipsius auctoris iudicio in Pantheismum, quem subaudit, innititur, tamque absurda et monstruosa est, quam absurdum est et monstruosum systema illud, quod tantopere genus turpavit humanum, et utinam in praesens non turparet; quod tamen in Cosmologia refutabimus. Verum cum Cousin se a pantheismi nota luculenter purgaverit (5) explicato sensu, quo unam esse substantiam intel-

(1) Principiorum Philos. P. 1. n. 51.

(2) Elici hoc potest ex verbis ipsis Cartesii, qui (loco cit.) postquam definitionem illam protulerit, actutum subiungit » Et quidem substantia, quae nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi nempe Deus. Alias vero omnes nonnisi ope concursus Dei existere posse percipimus. Atque ideo nomen substantiae non convenit Deo et illis *univoce*, ut dici solet in Scholis etc.

(3) Animadvertit hoc Leibnitius, qui proinde in examine principiorum Malebranchii de ea sic loquitur. Cette définition de la substance n'est pas exempte de difficultés. Dans le fond il n'y a que Dieu seul qui puisse être conçu comme indépendant d'autre chose. Dirons-nous donc, avec un certain novateur trop connu, que Dieu est la seule substance dont le créatures ne soient que les modifications?—Haec substantiae definitio non caret difficultatibus. Enimvero nonnisi Deus est, qui ut ex nulla alia re pendens concipi possit. Dicemus igitur cum novatore quodam nimis noto Deum tantum esse substantiam cuius res creatae non sint nisi modificationes?

(4) Filos. di V. Cousin trad. ed esam: dal Bar. Galluppi al tit. Ontol. pag. 98.

(5) Vide praefationem quam in postrema editione suis fragmentis praefixit. In qua aperte declarat se unam dixisse substantiam, quia unum esset ens increatum et undique absolutum; ceteras vero creatas substantias, quas hactenus phaenomena appellaverat, se in posterum substantias finitas nominaturum spondet. Quae animi magnitudo non vulgaris, in errore animadverso tam sincere devovendo, nunquam non ingentes laudes philosopho illi ingeniosissimo apud cordatos quosque merebitur.

ligebat; hac sua retractatione definitionem etiam illam tacitus retractasse putandus est. Quare in ea refellenda tempus incassum teri non debet. Sat fuit id innuisse ad errorem arcendum ab iis, qui Cousinianae explicationis ignari, definitionem illam in eius operibus forte offenderint.

61. Accuratius potius examen exigit Lockii opinio (1) qui comminiscitur substantiam nil esse aliud, quam congeriem idearum simplicium sensu perceptarum, seu, ut obiective id explicemus, complexum qualitatum, quas sensu percipimus, ignota ratione coëxistentium. Harum vero subiectum figmentum mentis esse opinatur et ex eo excogitatum, quod illas rei qualitates ut in alio existentes concipere assueti simus. Verum hoc haud est, ut philosophum decet, naturam scrutari, sed pro arbitratu commenta confingere. Praeter enim quam quod definitio a nobis allata substantiae ipsa obiectorum observatione, eaque innixa ratiocinatione suadetur, Lockii opinatio vel ex eo falsa manifestatur, quod rerum qualitates iuges subeant vices mutationesque, tum etiam quia sine ordine ad subiectum, cui inhaerere exigant, ne concipi quidem possint. Contra substantia, inter tot qualitatum suarum vices, immutabilis usque eademque subsistit. Cum igitur id nos percipiamus, substantiaeque conceptu, non ea quae mutantur aliudque afficiunt, verum quod his afficitur immotumque perseverat, cogitemus; notio istaec inepte admodum in complexu qualitatum aut idearum sensilium collocatur. Sed ad luculentiorem Lockii refutationem percontor ex ipso, utrum qualitates illae, quarum acervo substantiam exhiberi ait, alicui subiecto revera inhaereant necne? Si primum reponit; ergo, urgemus, subiectum hoc appellabitur substantia, quippe cum illis qualitatibus substet; quod proinde non commentitium, sed aliquid reapse existens dicendum erit. Sin alterum responsum dabit, in melius nil proficiet. Nam tum hae qualitates, utpote nulli inhaerentes subiecto, subsistent ipsae per sese quamvis invicem copulatae. Ergo conceptus entis per se stantis non est fictitius, quippe qui exemplar habet in natura. Ergo cum id nomine substantiae designemus, haec non inter fictiones mentis, sed in realium notionum numero habenda est. Quaestio duntaxat eo tunc devolvitur, ut disceptetur, utrum quas vulgo appellamus substantias, hae revera sint aggeratio substantiarum necne. Verum hoc scopo, de quo hic agimus, obest nihil, aliamque tangit disputationem, de qua alibi sermocinabimur. Denique ipse Lockius semet oppugnare videtur, cum invitus fateatur ideam substantiae universale subiectum esse sermonis humani. At quinam a mente humana exulare aut chimera esse potest ea notio, in qua omnis sermo fundatur, et qua proinde carere genus nequit humanum (2)?

(1) Essai phil. conc. l'ent. hum. l. 2. ch. 23.

(2) Accedant huc etiam testimonio suo duo viri clarissimi Galluppius et Rosminus, qui non solum auctoritate, sed etiam rationibus quas afferunt, pro veritate, quam tuemur, permultum valent. Horum alter sic loquitur: « Alcuni filosofi con Locke, e Condillac credono, che non abbiamo alcuna no-

62. At obiicit Lockius: (1) Idearum nostrarum fontes non sunt nisi sensatio et reflexio; atqui harum neutra notionem substantiae suppeditat; ergo talis notio fictitia est. Deinde: cum substantiam cogitamus, nil aliud menti obversatur, quam collectio quaedam qualitatum, quarum ideas per sensus accepimus (2); ergo in hac congerie conceptus substantiae ponendus est.

Resp. ad 1.m Obiectio istaec non notionem substantiae ex albo idearum nostrarum expungit, sed earumdem originem a Lockio effictam, incompletam et absurdam ostendit. Rectius enim sic esset ratiocinandum: habemus, ut conscientia ipsa testatur, substantiae notionem; atqui haec, quemadmodum et aliae complures, neque a sensibus neque a reflexione repeti potest; Ergo hi non sunt, ut Lockius voluit, unici fontes idearum. Quapropter cum hoc Lockianum argumentum suae hypothesi de origine idearum, quam falsam esse omnis sapiens in praesens agnoscit, superstruatur; fundamento hoc diruto, et ipsum quoque corruit. Negamus igitur propositionem maiorem; qua autem ratione, id in ideologia videbimus.

Ad alterum, *nego* omnino. Etsi enim, cum substantiam concipimus, eius etiam modificationes aliquas mente versamus, falsum tamen est nos nonnisi harum congeriem conceptu tum informare. Optime enim sibi quisque est conscius se praeter hanc, realitatem insuper in se existentem, quae, illarum subiectum sit, concipere; cuius notionem quamquam conceptio etiam quarumdam qualitatum forte comitetur, haec tamen illam non ingreditur sed circumstat, ita ut facile unam secernamus ab alia. Cuius rei quisque sibi est testis, quippe qui inter notionem substantiae et notionem accidentium, utut collectim sumantur, comparationem instituere potis est, ac discrimen, quod adest, notare intuitu.

zione della sostanza, e che non sentiamo se non se le qualità. Ma se la cosa è così; perchè questi filosofi pensano, che noi imaginiamo un sostegno alle qualità? Eglino non hanno spiegato l'origine di questa supposizione, che incessantemente si trova in tutti gli uomini. Se non abbiamo la nozione della sostanza, come si sarebbero inventati in tutte le lingue i nomi sostantivi, ed aggettivi, che la suppongono? Se non abbiamo la nozione della sostanza come possiamo aver quella della qualità che è la sua correlativa? La riunione di molte qualità non forma una sostanza, ma solamente una qualità complessa. (Elem: di Filos. t. 3. c. 4. §. 35.) Alter vero sic ait: Che se Locke in vece di osservare se l'idea di sostanza veramente esiste, volea pur dimandare se può esistere, egli si sarebbe avveduto, per poco che avesse riflettuto alla cosa, che anzi ella non potea non esistere. Senza di essa gli uomini non possono ragionare nè colla mente, nè col discorso: egli medesimo riconosce ch' ella forma l'argomento generale degli umani ragionamenti. Senza di essa gli uomini non possono concepire l'esistenza di qualche cosa o corporea o spirituale, qualunque sia: ma tuttavia la concepiscono: dunque l'idea di sostanza è percepita, è posseduta dall'uomo. (Nuovo saggio sull'orig. dell' idee Vol. I. sez. 3. cap. 1. art. 3).

(1) Essai phil. con. l'ent. hum l. 1. ch. 3.

(2) Ibid. l. 2. ch. 23.

63. Redeo nunc ad notionem *suppositi* et *personae*; in qua duo considerari posse diximus: *naturam* videlicet, seu essentiam ipsam singularem eiusdem prout vi agendi est praedita, et *subsistentiam* seu modum existendi talis naturae, ex quo fit ut illa sistat in se, seque cum alio non communicet. Quo loco duplex emergit quaestio perutilis, et ad theologiam, cui viam sternit philosophia, multopere necessaria. Prima est: subsistentia a natura quam complet, in rebus creatis (1) utrum re an tantum cogitatione differat; altera: sitne subsistentia in negatione tantum posita, an positiva quadam constet realitate. Atque ad primam quod attinet respondeo, subsistentiam in creatis non cogitatione tantum, sed obiective etiam, et re a natura distingui. In quo observandum est cum Suario (2), hanc thesim ex principiis duntaxat naturalibus non satis evidenter demonstrari, imo etiam, nisi dogma *Incarnationis* id docuisset, fortasse philosophos ob rei nimiam subtilitatem in eius suspicionem deventuros fuisse nunquam. Ex quo patet per Fidem non modo supernaturales veritates patefieri, sed ipsas philosophiae partes clariori in luce poni, et novis incrementis augeri. Nihilominus haec veritas potest menti humanae probabili admodum ratione suaderi, ac, quantum res patitur, satis luculenter exponi, tum ab argutiis, quae forte oggerantur, evidenter defendi; idque in praesens breviter faciemus. Et re sane vera, natura creata quamquam singularis sit et completa, tamen, si praeciso in ratione notisque naturae spectetur, omnimodam incommunicabilitatem includere non videtur. Etenim mentis obtutum in ea figentes, etsi pervideamus ipsam, eo quod substantialis sit, non posse alteri instar modificationis seu accidentis inhaerere, et, eo quod completa sit atque integra, non posse per modum partis alteri naturae coniungi: tamen in ipsa nil adhuc conspicimus, quod vetet ne cum altero se comunicet ut natura. Optime enim mente informamus naturam utut individuam, esse tamen alicuius, qui eam habeat, atque idcirco in suis tantum constituentibus inspectam nondum pleno semet possidere, sed posse a nobiliori quodam assumi supposito, ut roapse in individua Christi humanitate a *Verbo* assumpta factum esse docet Fides. Si igitur in notis naturae singularis sic nude sumptae nil adhuc reperitur, per quod hanc ultimam speciem *incommunicabilitatis* habeat, necesse est ut aliud ei adveniat adiungaturque, quod naturam illam iam singularem in semetipsa sistentem faciat, propriique iuris, atque ita, ut ad alterum non pertineat, sed ipsamet se possideat. Et quoniam quicquid alicui realitati advenit et adiungitur, novum aliquid esse debet ab ea re vere distinctum: subsistentiam, cui hoc respectu naturae singularis competit, ab eadem *realiter* discriminari oportet. Quod si quaenam ex realibus distinctionibus

(1) Hoc dicimus, quia in Deo, qui maxima gaudet simplicitate, subsistentia a natura distinctione non *reali* sed *virtuali* tantum et *rationis*, ut aiunt, discriminatur.

(2) Tract. de Incarnatione.

haec sit, quaeratur, respondemus eam esse *modalem*; subsistentia enim, ut ex dictis patet modus quidam substantialis naturae est; siquidem munus eius in hoc vertitur, ut modum quemdam existendi naturae, quam terminat, elargiatur (1).

64. Ex his planior via est ad secundam quaestionem; in qua quidem contraria tum philosophos tum theologos sententia distraxit. Alii enim subsistentiam in sola negatione unionis cum nobiliori supposito, a quo natura illa singularis assumi posset; alii in positione aliqua seu realitate modali, quae naturam sistentem in se faceret, et omnino incommunicabilem, reposuere. Utraque sententia sine Fidei errore defendi potest, cum utraque ad *dogma Incarnationis* explicandum revera sufficiat. Quare quae magis lubet, quis libere amplectatur. At mihi secunda rationi congruentior videtur esse, atque ex iis, quae proxime explicavimus, derivari. Nam si natura, seclusa subsistentia, nondum se possidet, potestque se cum altero nobiliori supposito, quod eam assumat, communicare, atque ideo per se nondum personam constituit: signum profecto est aliquid reale et positivum ipsi deesse, quod ad personam constituendam exquiratur. Secus, si negatio tantum abesset, cum haec revera nihil sit, natura in nihilo differret a persona, quod ab adversariis falsum esse conceditur. Praeterea id, quod subsistentia praestat naturae, non est aliquid mere negativum sed positivum reapse, ex quo negatio resultat. Eam enim accessu suo omnino sistentem per se facit et proprii iuris, qui modus quidam existendi est magnam perfectionem inducens. Hoc autem quonam effici pacto potest, nisi subsistentia ipsa positio aliqua in se sit et realitas? Denique plus aliquid certe est suppositum ac persona, quam natura tantum. Plus enim est ita aliquid extare, ut se possideat ac sit sui iuris; quam secus. Atqui hoc a subsistentia suppeditatur. Subsistentia igitur aliquid in natura ponit, ac proinde positivum quid ipsam esse oportet. Qui plura cupit, adeat Suarium de ea re egregie disserentem (2).

65. At oppones de conceptu naturae singularis esse ut sit subsistens; ergo id illa non recipit ex superveniente subsistentia a se realiter distincta. Antecedens autem probatur; nam natura illa singularis substantia est; atqui ad substantiam spectat per se subsistere, idque eius continetur conceptu; siquidem substantia definitur *ens per se subsistens*.

Respondeo obiectionem hanc, quae unice in hac materia ali-

(1) Si non in philosophia sed in theologia versaremur, distinctio realis subsistentiae a natura singulari evidentissime demonstraretur, praemisso tamen ex Fide altissimo Incarnationis Mysterio. Nam cum Verbum divinum ad *hypostaticam* unionem assumpserit naturam humanam singularem, seclusa subsistentia (nam in Christo subsistentia divina est); luce clarius paret hanc ab illa in homine distinctam *realiter* esse, secus ab eadem secerni potuisset nunquam.

(2) Metaphys. t. 2. disput. 33. sect. 2.

cuius momenti est, dupliciter solvi posse. Prima solutio sic distingueret *Antecedens* : de conceptu naturae singularis iam per subsistentiam completae est ut sit per se subsistens, *conc.* de conceptu naturae singularis, secreta subsistentia, est ut sit per se subsistens, iterum *dist.* est ut sit per se subsistens actu et positive, *nego*; habilitate et exigentia (explenda tamen per subsistentiam) *concedo.* Ad probationem vero *concedo* illam naturam esse substantiam, etsi non ultimo per subsistentiam completam. At *minorem* propositionem *distinguo*; nam substantia si, exclusa subsistentia, consideratur, ad eius conceptum pertinet existere per se capacitate tantum et exigentia, quatenus nimirum apta sit et exigat in se subsistere, idque libenter largior; verum id ipsum actu et positive non habet nisi adveniente subsistentia, quae illam terminet. Et hoc modo intelligendum esse *τὸ subsistens*, quod in definitione substantiae ponitur; sicuti *τὸ inhaerens*, quod habetur in definitione accidentis, cum dicitur esse *id quod alteri inhaeret*, quoad aptitudinem duntaxat sumitur et exigentiam. Ad rationem enim et conceptum accidentis non pertinet ut actu substantiae inhaereat, sed ut naturae cursu hunc modum existendi exigat.

Altera solutio, quae a superiore non dissentit, hoc pacto obiectionem distingueret: de conceptu naturae singularis est ut sit subsistens, id est alteri non inhaerens veluti subiecto, *conc.* idest alteri incommunicabilis ut supposito, *nego.* Duplex subsistentia concipi debet: una quae opponitur inhaesioni accidentis propriae, et haec includitur in definitione substantiae: altera quae opponitur cuivis communicabilitati, et haec non competit nisi supposito ac personae; atque ideo non includitur in definitione substantiae nondum per subsistentiam terminatae; vel ita includitur, ut importet non actum positionemque iam habitam, sed, ut explicui, capacitatem tantum et veluti naturalem quamdam exigentiam.

65. Ad huius theoriae coronidem iuvat Lockii opinationem circa personae identitatem breviter coarguere. Ipse enim (1) postquam absurda non pauca materialismo, ut in more habet, faventia quasi iocans protulerit, commentitiisque fabellis locum dare sua philosophia non indignum putaverit: ad identitatem personae explicandam in eodem capite gradum facit. Et in primis personam definit *ens cogitans et intelligens capax rationis et reflexionis ac potens se ipsum consulere tamquam eandem rem quae cogitat in diversis temporibus et locis.* Deinde tradit identitatem ipsius in conscientia reponi propriarum actionum, seu in actu quo quis operationum quas elicit, sibimet est conscius (2). At haec sententia adeo fal-

(1) Ess. phil. conc. l'ent. hum. l. 2 ch. 27.

(2) Sunt qui Lockium ab hoc absurdo liberari vellent aientes ipsum non personae identitatem sed huius identitatis perceptionem constituisse in conscientia. Si ita esset, nihil haberetur, quod iure in hoc reprehenderem. Verissimum enim est nos identitatis nostrae per conscientiam moneri. Sed, ni aucto-

sa per se videtur et ipsa expositione sua se refutans, ut operam perdere omnino putem, si in eius falsitate aperienda diu immorer. Ad ipsam igitur explodendam duo sufficiat animadvertere: primum est tantum abesse ut conscientia earumdem actionum identitatem personae constituat; ut ne cogitari quidem possit conscientia eiusmodi, nisi antea personae identitas supponatur. Nam quo pacto conscire nobis possumus actiones illas, quas posuimus, nostras esse, nisi reapse iidem simus, qui eas conscimus ac qui posuimus? Profecto nisi id supponatur, conscientia huiuscemodi sine errore ac deceptione excogitari nequit. Personae igitur identitas conscientiam praecedit, et circulo vitioso obsolvitur quisquis eam per ipsam conflari autumat. Alterum vero est congeries absurdorum quamplurium, quae ex Lockiano commento deri-

rum verba non ad veritatem sed ad voluntatem interpretari velimus, non hoc docuisse Lockius, sed id praecise, quod nos in thesi refellimus, dicendus est. Atque utrum in hoc fallar quisque ex verbis ipsis Lockii per se iudicet. Sic enim ait (Loc. cit. §. 9.) Lorsque nous voyons, que nous entendons, que nous *flairons*, que nous sentons, que nous méditons, ou que nous voulons quelque chose, nous le connoissons à mesure que nous le faisons. Cette connoissance accompagne toujours nos sensations et nos perceptions présentes; et c' est par-là que chacun est à lui-même ce qu'il appelle soi-même. On ne considère pas dans ce cas si le même Soi est continué dans la même substance, ou dans diverses substances. Car puisque la conscience accompagne toujours la pensée, et que c' est là ce qui fait que chacun est ce qu'il nomme soi-même, et par où il se distingue de toute autre chose pensante: c'est aussi en cela seul que consiste l'*identité personnelle*, ou ce qui fait qu'un être raisonnable est toujours le même. Et aussi loin que cette conscience peut s'étendre sur les actions ou les pensées déja passées, aussi loin s'étend l'identité de cette personne: le soi est présentement le même qu'il étoit alors; et cette action passée a été faite par le même soi que celui qui se la remet à présent dans l'esprit. (§ 9.)— Deinde paragrapho sequenti quaerit sitne necessarium ad identitatem personalem ut eadem substantia perseveret in eadem persona, et reponens id ad propositum nil referre, sic prosequitur ,, En effet, tant qu' un être intelligent peut répeter en soi-même l'idée d'une action passée avec la même conscience qu'il en avoit eue premièrement, et avec la même qu'il a d'une action présente, jusque-là il est le même soi. Car c'est par la conscience qu'il a en lui-même de ses pensées et de ses actions présentes qu'il est dans ce moment le même à lui-même; et par le même raison il sera le même soi, aussi long-tems que cette conscience peut s'etendre aux actions passées ou à venir: de sorte qu'il ne sauroit non plus être deux personnes par la distance des tems, ou par le changement de substance, qu'un homme être deux hommes, parce qu'il porte aujourd'hui un habit qu'il ne portait pas hier, après avoir dormi entre-deux pendant un long ou un court espace de tems. Cette même conscience réunit dans la même personne ces actions qui ont existé en différens tems, quelles que soient les substances qui ont contribué à leur production ,, Et sane in eodem sensu, quo nos, Lockium interpretatus est Reid, ac egregie refutavit, quem proinde consule si lubet (Essais sur les facultés de l'esprit humain, Essai III. ch. 6. De l'identité personelle selon Locke operum tom. 4.) Vide etiam P. Dmowski Ontol. art. 4 §. 32. in secunda nota. Edit. Romana an. 1840.

varentur. Nam in ea sententia deliri et amentes, qui praeteritarum actionum oblivione capiuntur, in personam aliam convertuntur; non enim habent conscientiam illarum actionum, per quam persona eadem constituitur. Item quotiescumque conscientia actionum nostrarum interrumpitur, ut in somno, persona etiam tunc cessaret, ac quamdiu illo status perseverat, nulla foret. Itemque si vera loqui fas est, persona in nobis mutatione perenni varianda esset iugiter. Nam in tantum per Lockium eadem perseveraret, in quantum conscientia adesset praeteritarum actionum quas ante fecimus. At commemoratio istaec nunquam una eademque in homine permanet, tum quia antecactas operationes omnes unico actu reminisci in praesenti vita non possumus; tum quia plurium actionum praeteritarum memoriam in dies amittimus. Postremo si eadem conscientia ex una intelligente substantia in aliam transferretur (quod Lockius impossibile non videri largitur) posset tunc profecto eadem persona in diversis distinctisque substantiis reperiri. Atque haec nonnulla sunt rationi absona prorsus, quae ex Lockiana sententia scaturiunt; ut missa faciam absurda illa graviora ac pestilentiora, quae contra Fidei dogmata facile derivantur. Denique ipso Lockius sibi non videtur esse consentiens. Nam si personam non in *conscientia* roposuit, sed in *ente cogitante et intelligente* etc; ut ex eius definitione superius relata evidens est; certe in huius perseverantia ac convenientia cum seipso, non in eiusdem permansione conscientiae, personae identitas reponi debuit.

ARTICULUS SEXTUS.

De Accidentibus.

66. Accidentia seu qualitates, seu modi (idem enim sonant haec nomina) definivimus: *ens alteri inhaerens* seu *inhaerere exigens*. Hoc numero continentur cognitiones appetitionesque quoad animum; quoad corpora vero motus, figura, vires, et gereratim quotquot ea multifariam afficiunt. Conceptus, quem definitio proxime allata complectitur, ut superius explicavimus, ex experientia cum externa tum interna resultat; propterea quod multa sive in animo, sive in corporibus perspiciamus, quae variantur et discedunt, quin subiectum, quod afficiunt, pereat, aut in essentia revera mutetur. Age iam circa modos eiusmodi gravis inter philosophos agitata quaestio est, siutne reale aliquid a substantia ipsa, cui insunt, diversum, an cum ea quoad rem confundantur omnino. Affirmant aliqui vehementer, alii acriter inficiantur. Inter eos, qui modos neutiquam a substantia re differre dicunt, recenseo potissimum Baylium, Maignanum, Fortunatum a Brixia, quamvis hic ultimus id de corporum qualitatibus arcte defendat, de qualitatibus animi nihil affirmet. (1) Ex iis vero qui contrarium tuentur, ut mittam veteres, prae-

(1) Vide eius Phys. Gener. par 1. Diss. 4. Sec. 1. pr. 4. §. 603.

cipue sunt Leibnitius et Galluppius; quibus addi etiam debet Storchenavius; quem ideo nomino, quia in hoc fortasse minus observatus est, at eiusmodi sententiam aperte docere videtur. Sic enim ait (1) » duplicem statuunt philosophi indifferentiam unius ad alterum; *physicam*, quae tum habetur, cum aliquid enti iam existenti accedere potest, ut *doctrina homini*, *rotunditas marmori*, et haec indifferentia, ut per se clarum est, arguit distinctionem realem. Unde quia homo physice indifferens est ad doctrinam, marmor ad rotunditatem, homo a doctrina, marmor a rotunditate realiter distinguuntur. etc. Momenta, quibus fulciuntur primi, haec esse videntur: 1. Quia intelligi nequit quomodo accidentia eiusmodi producantur. Certe si aliquid reale forent a substantia distinctum realiter, creari deberent, immo vero innumera singulis momentis conderentur. 2. Quia in ea sententia statuendae forent entitates quaedam absolutae, ut ipsi aiunt. 3. Quia mutatio modorum, quae accidit in substantiis, sat explicatur per ipsam substantiam aliter modificatam, quin opus sit ad *modos* confugere, qui a substantia re differant. Sic exempli causa, ut mutatio accidentalis explicetur, quae contingit in corporibus, oppido sufficit si ipsam corpoream substantiam aliter modificari concipiamus, novamque particularum, unde constat, suscipere dispositurani. Rationes vero, quibus contrariae sententiae patroni nituntur, ad has potissimum revocantur: 1.° quod, ni realis distinctio inter modos, et substantiam statuatur, explicari omnino nequit realis mutatio, quam reapse in animo contingere et in corporibus adeo perspicuum est, ut nihil supra (2); 2.° quod secus omnis actio creatis agentibus adimeretur, ac in absurda non pauca lapsus fieret (3); 3.° quod ipsi

(1) Ontolog. sec. 2. cap. 2. §. 55. in respons. ad 3. difficultatem.

(2) Galluppii verba haec sunt (Saggio Filos. Vol. 6. c. 2. §. 17.) : Questo filo ofo (Bayle nimirum) conviene dell' esisistenza de' cambiamenti. Ora se in una sostanza nulla vi ha di distintò da essa stessa, come si può ammettere il cambiamento? Quando si dice la sostanza *A* è cambiata, che cosa s' intende con ciò? Che si è prodotta una sostanza diversa da *A*? In questo senso la sostanza *A* non è cambiata; ma un'altra sostanza è stata creata, laddove la prima è stata distrutta .... Se alla sostanza *A* è inerente il modo *B*, allora che questo cessa, e vi succede il modo *C*, io vedo bene che lo stato accidentale di *A* è cambiato, o sia che il suo modo di esistere è cambiato: questo cambiamento si riferisce esattamente alla sostanza, perchè i modi sono della sostanza e le appartengono etc.

(3) Utitur hoc argumento Leibnitius (Tentam. in Theod. par. 3. §. 393.) sic inquiens » Ceterum consultum erit cavere, ne, dum substantiae cum accidentibus confunduntur, dum substantiis creatis actio omnis adimitur, gradus fiat ad Spinozismum., qui Cartesianismus est immoderatus .... Si accidentia non distinguuntur a substantiis, si substantia creata est ens successivum, uti motus; si ultra momentum non permanet, neque (aliquo temporis spatio adsignabili) eadem reperitur magis, quam eius accidentia; si non magis, quam mathematica quaedam figura vel numerus, operatur, cur non dicamus cum Spinoza, Deum solum esse substantiam, creaturas vero nihil esse, nisi accidentia sive modificationes?

adversarii idem revera, si urgentur, sentire videantur, licet discrepent verbis. Cum enim aiunt substantias mutari eo quod aliter modificantur, modos aliquid reale esse, et a substantiis distinctum fatentur implicite (1). Harum sententiarum utra magis seligenda sit iudicet lector; ego tamen posteriori assentior. Rationes enim, quae afferuntur, rem animo convincere omnino videntur, nec contrariis labefactari. Et sane ad primam quod attinet, quae a reali mutatione modorum in substantiis desumebatur, haec, ut liquido fatear, ineluctabilis esse videtur. Nam substantias quoad modos non cogitatione nostra, sed re mutari plusquam oporteat confessum est ac manifestum. Sic pyla impulsu accepto moveri occipit, cum antea omnino quiesceret; deinceps, aliquo resistente corpore, motum rursus amittit. Marmor actione artificis ex quadrato fit rotundus, aut aliam partium dispositiuram induit. Animus noster ex cogitatione una ad aliam graditur, tum ex insciente fit sciens. Hae mutationes atque earum consimiles reales sunt, minimeque a cogitatione pendentes. Non enim quia cogitamus, hae substantiis illis competunt; sed contra quia competunt et insunt, idcirco eas cogitamus. At hercle quomodo mutationes istiusmodi reales esse quibunt, nisi substantiae, quae sic mutantur, aliquid novi et reale amitterent vel reciperent? Profecto mutatio aliter concipi nequit, nisi quatenus subiectum idem ab uno statu ad alium commigrat, seu quatenus aliquid accipit, quo ante privabatur. Atque hoc si in cogitatione est duntaxat, mutatio mentalis est et logica; sin vero in re erit, mutatio realis dicetur et physica. Atqui fatentur adversarii mutationes, de quibus agimus, esse reales. Ergo fateantur etiam oportet substantias, quae his subduntur, aliquid reale amittere vel recipere. Atqui in casu non amittunt vel recipiunt nisi modos, seu accidentia. Accidentia igitur istaec et modi aliquid *reale* sunt. Adde huc, substantias cum modis plus certe esse, quam substantias tantum. Sic ex. gr. animus cum scientia plus est, quam animus tantum; corpus cum motu plus est, quam corpus tantum: nisi inepte quis dicat animum scientia imbutum nihil ab insipiente differre; atque ideo philosophum tot laboribus nihil esse adepturum; vel etiam corpus, quod movetur, nihil motione sua a quiescente differre, atque ideo non esse mutatum; mutatio enim, quae nullam differentiam facit, non est mutatio. Iam vero animus sciens ab insciente, corpus quod movetur, a quiescente tantum per modificationem differt. Haec igitur, utpote quae aliquid

Huc usque creditum fuit substantiam manere, mutari accidentia; in hac veteri doctrina perstandum censeo, nec argumenta, quae legisse memini, contrarium probant; et nimium probant, si quid probant etc.

(1) Utitur argumento hoc idem Galluppius (loco cit:) Se il modo fosse la cosa modificata, esso sarebbe insieme la sostanza ed il modo, il che è assurdo; l'analisi istessa dell'espressione *cosa modificata* non dovrebbe forse bastare ad aprire gli occhi di Bayle? Cosa modificata significa una cosa, in cui vi è una modificazione. La modificazione è dunque una realtà.

reale affert, aliquid in se reale sit oportet. Probandum modo superest modos, quos aliquid reale esse ostendimus, realiter differre a substantia, quam afficiunt. Atque hoc ex demonstratis sponte sua fluit. Nam si modi aliquid reale sunt, eosque substantia manens eadem quae prius erat, amittit et induit, ab iisdem realiter differat oportet. Quicquid enim recedit et advenit alicui, variaturque, eodem et immoto manente illo, ab eo realiter differat necesse est. *Differre* enim *realiter* nil aliud intelligimus, quam realitates esse diversas. Quod si alterum argumentum a Leibnitio prolatum perpendatur, hoc etiam vi sua non destituitur. Aiebat enim Leibnitius, si modi a substantiis non differant, omnem actionem creatis agentibus adimi; atque id videtur esse verissimum. Nam si agentia creata cum actione sua substantias novis modis afficiunt, nil reale producunt (non producunt autem reale quidpiam, si modi aliquid reale non sunt) profecto realem non exerunt actionem. Actio enim non est aliud, quam effectio rei cuiusdam; atque ideo a termino, quem respicit, speciem, mensuramque desumit. Postremo illud etiam verum est adversarios, si sibi constantes esse velint, ad idem, quod nos tenemus, sentiendum duci. Nam postquam substantias accessu modorum revera mutari concesserint, cum deinceps veluti ad tutissimam arcem se recipientes, ad notum illud procurrunt effugium, nimirum quod substantiae mutatione eiusmodi aliquid quidem novi acquirant, nempe *modificationem*, attamen quae non sit aliquid reale a substantia diversum: pugnantia omnino loquuntur. Ut enim satis explanavimus, intelligi nequit mutatio realis substantiae, quin realitas aliqua inde dematur vel accedat; quod autem alteri accedit vel demitur, ab eo diversum ac distinctum sit oportet.

67. Venio nunc ad solvendas rationes eas, quas initio articuli pro adversariis indicavimus. Ac prima quidem tria continebat: non posse concipi modum, quo eiusmodi accidentia producantur; in eo casu esse vim creandi tribuendam creaturis; innumera accidentia singulis momentis gigni, quod videtur absurdum. Horum vero nihil evincit aliquid. Nam quod modum, quo accidentia fiunt, satis distincte concipere nequeamus; hoc imprimis extra quaestionem evagatur. Non enim de explicando modo, quo fiunt, sed de eorum disceptatur existentia. Quid autem vetat, ne aliquid certo extare noscatur; modus autem, quo gignitur, penitus ignoretur? Immo etiam hoc in innumeris exemplis locum habet. An vero adversarii eductionem rei ex nihilo, quae tamen a Deo facta est; modum quo animus informat corpus; qua ratione corpus movens vim suam motricem cum altero corpore, quod movet, communicet; quinam ideae efformentur in nobis, sexcentaque alia naturae phaenomena distincte perspiciunt, aut dilucide explicant? Num idcirco ea inficiari inducent animum? Videant igitur ne suo argumento plus admodum, quam aequum sit ac temperatum, probent. Satis igitur erit distinctionem modorum a substantiis distincte probasse, etsi modum, quo gignuntur, concipere nequiremus. Quamvis neque hoc concedi de-

bet. Probe enim quisque sincerus naturae scrutator mente concipit hanc sibi vim vindicare substantias, ut actione sua realitatem aliquam extra se, prius non extantem, producere possint. Hac tamen differentia, ut substantia increata et infinita subiectum nullum, in quod actionem exerat, exquirat; substantiae autem creatae, ob diminutam suam virtutem, eiusmodi subiectum postulent. Quod si quis neque hoc se concipere mente posse contendat, videat is ne ipsa creationis ratio aliquod exinde capiat detrimentum. Nec vero si vis producendi reales modos creaturis tribuitur, continuo eas virtute creandi, ut obiiciebant, oportet instruere. Creatio enim nulla est, ubi aliquid ex praeiacente subiecto gignitur, quemadmodum contingit in casu. Apposite Leibnitius (1) ». Quoad iactatam accidentium creationem attinet, quis non videt opus non esse virtute ulla creatrice ad mutandum locum, aut figuram, ad formandum quadratum vel parallelogrammum oblongum, aliamve quamcunque figuram agminis militum arma exercentium magis, quam ad fingendam statuam demendo partes a marmore, vel construendam aliquam figuram extantem mutando, minuendo, vel augendo ceram? Modificationum productio numquam dicta creatio, et vocibus abutitur quisquis hominibus terriculamentum illud obiicit. Quod denique omnium agentium congerie considerata, innumerae modificationes singulis momentis producerentur, non video quid hoc absurdi habeat in se, nec quid solidi oggeri ab adversariis possit. Immo vero id omnino necessarium videtur potius, propter perennem rerum, quae hunc universum conflant, mutationem. Quae certe explicari aliter nequit ab ipsis adversariis, nisi reales modi ratione quorum substantiae creatae iugiter mutentur, admittantur. Atque de prima ratione satis; ad alteram vero quae aiebat in nostra sententia modos reales adstrui ut quid absolutum, vehementer id inficior. Non enim revera hoc sequitur, sed contrarium potius. Tota enim realitas modorum per nos est eiusmodi, ut suapte natura tota quantaque est in substantiis afficiendis ac modificandis versetur. Non igitur hi ut absoluta entia, sed relativa potius concipi debent. Nec contrarium ab ipsis Scholasticis (non de gregalibus, sed de principibus loquor) dictum est unquam. Audiatur pro omnibus Divus Thomas qui non modo accidentia non tam entia, quam potius entis entia dici oportere docet; sed etiam absolutam eorum realitatem omnino negat his verbis (2) » quia essentia per definitionem significatur, oportet quod eo modo (*accidentia*, seu *modificationes*) habeant essentiam, quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non possunt definiri, nisi ponatur subiectum in eorum definitione: et hoc ideo est, quia non habent in se esse *absolutum* per se a subiecto » Denique ad ultimam rationem quam afferunt, iam satis responsum est supra, cum diximus in notione substantiae aliter modificatae duo

(1) Loco citato §. 394. et 395.
(2) De Ente et Essentia c. 7.

includi, *substantiam* et *modificationem*, qua illa afficitur. Quapropter largimur mutationes accidentales, quae fiunt, satis explicari per substantias aliter modificatas; sed hoc ipso inferimus reales modos debere adstrui.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Relatione.

68. Quemadmodum ea, quae ita concipi possunt, ut alia, ad quae referantur, simul intelligi non oporteat, *absoluta*: sic ea, quae cogitari sine alio nequeunt, seu quorum natura est, ut ad aliud referantur, *relativa* dicuntur. Exemplum primi generis sit *homo*, qui ut consideretur, opus non est ens aliud, cum quo comparetur, una simul cogitare. Exemplum vero generis posterioris sit notio *patris*, qua certe imbui mens nequit, nisi simul aliud ens cogitet, nempe filium, ad quem notio superior habet ordinem (1). Iam vero ordo ipse unius ad aliud, seu determinatio entis, qua ipsum non absolute in se, sed vi comparationis cum alio cogitatur, *relatio* audit. Eiusmodi est notio ex. gr. *aequalitatis*, quae tum habetur, cum res una cum alia confertur, quam aequiparat. Porro tria in relatione considerari debent: *subiectum*, *terminus*, *fundamentum*. Subiectum dicitur illud, quod refertur ad aliud; id vero, ad quod refertur, est terminus; id denique, vi cuius refertur, seu ex quo relatio resultat, fundamentum relationis nominatur. Sic, ut exemplo rem illustrem, in relatione similitudinis, quae inter duo corpora alba intercedit, corpora albedine suffusa *subiectum* et *terminum*; ipsa albedo, vi cuius similia dicuntur, *fundamentum* relationis constituit. Iam ut ad divisiones relationis veniamus, ipsa generatim dispesci potest in *logicam* et *realem*. Prima ea est, quae a mentis consideratione pendet; altera vero, quae in rebus ipsis viget, tametsi nulla mentis accedat consideratio. De veritate superioris nemo ambigit; evidentissimum siquidem est posse mentem respectus varios et ordines ad invicem in suis ideis efformare, velut cum notionem generis alicuius cum individuis, quae illa complectitur, forte comparat, vel obiectum unum idemque cum seipso confert atque ita illi identitatis relationem tribuit. At posterior, nimirum realis, dubitationem aliquam fortasse ingerit. Sed hanc quoque dari confessa res est et manifesta; siquidem multa sunt, quae, ante omnem mentis operationem, respectum et ordinem habent inter se. Sic pater et filius, effectus et causa, duo mutuo aequalia, aut simitia relationem et ordinem unius ad alterum includunt, quem a mentis consideratio-

(1) Alio sensu usurpari etiam solent hae voces, quatenus nomine *entis absoluti* id intelligatur, quod dependentiam nullam involvit, nec ut existat, exposcit aliud; *relativum* vero, quod contra se habeat. Qua acceptione ens absolutum nonnisi Deus dici potest; res vero creatae, cuiusvis naturae sint, dici debent entia relativa.

ne non recipiunt, sed eidem contemplandum obiiciunt. At quidquid a mente non pendet, reale est. Dantur igitur relationes reales. Atque si huius rei ratio aliqua *a priori* quaeratur, haec esse poterit, quod mundi perfectio non solum realitates exposcat absolutas, quibus res quaeque in sua natura constituitur; verum etiam ordinem unius rei ad aliam, et omnium ad supremam rerum causam, a qua pendent et ingiter conservantur. Iam vero hic ordo relationem vel constituit, vel includit, quae uti diximus in respectu et ordine unius ad aliud tota quanta est versatur. Ergo cum talis ordo realis sit, et non in mente tantum, sed in rebus a Deo conditis extet; relatio realis seu in natura existens admittatur oportet. Fateor equidem ad relationem percipiendam comparationem exquiri, quae actus est mentis; at huius comparationis fundamentum, seu ordo unius ad aliud, res ipsas afficit, quae comparantur; nec per mentis contemplationem fingitur, sed detegitur.

69. Existentia relationis realis demonstrata, videamus modo quaenam conditiones requirantur, ut relatio vere realis dici possit. Hae quatuor sunt duntaxat; Prima est ut subiectum, cui relatio tribuitur, aliquid reale sit; evidens siquidem est non posse rem realem subiecto commentitio aut logico inhaerere. Secunda, ut fundamentum eiusdem reale etiam sit; cum enim relatio exinde pullulet, nequit ipsum excedere ac alterius esse naturae. Tertia, ut terminus, quem relatio respicit, existens sit. Cum enim munus, et effectus relationis nil aliud sit, nisi referre unum ad aliud, nempe subiectum ad terminum; hunc actu extare necesse est, ut ordo inter ipsum et subiectum actu intercedat. Quod dictum intelligas de respectibus, qui proprie genus relationis constituunt, quorum tota ratio et natura in hoc sita est, ut subiectum ad terminum actu existentem referant; quemadmodum est de relatione similitudinis. Neutiquam vero extendi debet ad eas relationes, quae proprie tali classe non continentur, nec enti, cui insunt, superadduntur, et quarum munus non est terminum respicere duntaxat, sed praeterea rei, cui insunt, naturam determinare; qualis esset ex. gr. ordo ac relatio facultatis cuiusdam seu vis agendi ad suum obiectum. Hae enim relationes seu respectus dari possunt, antequam extet terminus, eoque sublato sunt superstites. Quarta conditio denique est realis distinctio inter fundamentum et terminum. Subiectum enim non refertur ad terminum, nisi quatenus fundamento relationis afficitur. Ea autem, quae invicem referuntur, ordinem et oppositionem quandam habent inter se. At ordo et oppositio eiusdem ad seipsum revera repugnat.

70. Antequam ad varias relationis realis species innuendas veniamus, solvenda nobis quaestio est, quae cum relationis existentia valde connectitur; nimirum utrum relatio a fundamento, unde resultat, diversum aliquid ac distinctum sit, necne. Cui quaestioni reponimus cum Suario (1) relationem cum fundamento,

(1) Metaph. tom. 2. disp. 47. sec. 2. n. 22.

ex quo manare concipitur, re omnino confundi; at conceptu tantum, et ratione distingui. Et favet evidenter D. Thomas (1) qui de ipsa sic ait » Cum autem dico quod similitudo Sortis habet albe-» dinem eius ut fundamentum, non est intelligendum quod simili-» tudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine, sed » solum est ipsa albedo ut se habet ad albedinem Platonis ut ad » terminum » Ac re sane vera distinctio rationis, quae tamen a parte rei virtualis sit, sufficit prorsus ad explicandam realitatem relationis, et quomodo resultet, posito termino. Ergo, cum non sint multiplicanda entia sine necessitate, opus non est ad novam et distinctam confugere entitatulam, quae fundamento adveniat relationemque constituat. Sic ex. gr. duo parietes albi ob albedinem, qua afficiuntur, similes sunt inter se. Quae similitudinis relatio quoad entitatem a fundamento, unde resultat, videlicet ab ipsa albedine, re non distinguitur, sed ratione tantum, eo quod sit ipsa albedo unius parietis prout non absolute cogitatur, sed in comparatione cum alia; quae si destruitur, continuo cessat relatio. Nam eo casu albedo illa prior non amplius actu referri ad aliud potest, cum desit conditio necessario requisita, nimirum terminus comparationis, quem relatio natura sua respicit ac includit. Insuper relatio fundamento advenit ab eoque discedit, sine ulla interna eius mutatione, sed tantum positione vel destructione termini. Sic ex. gr. cum nova albedo producitur, cetera alba, quae iam extabant, novam adipiscuntur relationem similitudinis, et tamen intrinsecus non mutantur; nullam enim recipiunt actionem. At si relatio esset aliqua realitas a fundamento distincta; subiecta, quibus advenit, intrinsecus mutari deberent, quippe cum novam reciperent realitatem; ac proinde aliquod agens, quod illam in ipsis gigneret, requireretur.

71. Ut de relationum speciebus aliquid indigitemus, animadvertatur inductione in singulis instituta relationes resultare posse 1.° ratione unitatis vel multitudinis. Sic relatio similitudinis fundatur in unitate specifica eiusdem qualitatis, qua ex. g. duo corpora praedita sint; relatio aequalitatis in unitate fundatur quantitatis, qua similiter res extensae afficiantur; ea enim dicuntur aequalia, quae eadem quantitate gaudent. Relatio contra diversitatis vel inaequalitatis varietate nititur qualitatis vel quantitatis, qua multimodis res diversae vel inaequales determinantur. 2.° Resultare potest relatio ex actione vel passione, quae forte intercedat. Sic relatio patris erga filium, et vicissim habetur ratione vitae, quam pater generatione largitus est filio. 3.° Exoritur relatio ratione mensurae, cum videlicet unum ad aliud refertur, tanquam ad mensuram suae realitatis, aut ad id, ex quo speciem mutuatur. Sic scientia se habet ad obiectum, quod respicit. Obiectum enim est illud, ex quo perfectionem metimur scientiae, ac cuius haec naturae sit perspicimus. Deinde observari debet relationem aliam esse mutu-

(1) Opusc. 48. tract. 5. c. 2.

am , aliam vero secus. Sic relatio aequalitatis ex. gr. inter duas aequales quantitates mutua est ; relatio inter creaturam et Deum mutua non est , eo quod licet creatura realem relationem habeat ad Deum, Deus tamen nonnis rationisi relationem habet ad creaturas. Creatio enim, quae huius relationis fundamentum est, non aliquid novi in Deo ponit, sed in creaturis tantum; ut suo loco explicabitur. Denique relatio mutua vel est eiusdem appellationis, vel diversae. Sic relatio Patris et Filii est mutua quidem, sed appellationis diversae ; relatio similitudinis inter duos albos parietes mutua est et appellationis eiusdem.

CAPUT QUARTUM.

De Causis Entis.

Disceptationem de causis in postrema hac Ontologiae parte omittendam non ducimus tum ob maximam coniunctionem , quam hae notiones cum entis conceptu habent (omne enim ens aut causa est, aut saltem causam habet) , tum quia ceterae scientiae , quarum principia tractari hic debent , in causarum praesertim investigatione versantur. Longe enim sumus ab iis , qui causarum studium a philosophia exulare volunt ; siquidem completa rerum scientia acquiri nequit , nisi causae , a quibus illae pendent , detegantur. Quare harum neglectus pervertit ea , quae sunt scientiae fundamenta , et naturae reluctatur , quae , ut inquit Seneca , curiosum nobis ingenium dedit , id est causas sciendi cupidum. Ne autem brevitatis terminos transiliamus , totam , quaestionem tribus absolvemus articulis. Primum de notione causae et principii generatim ; deinde de efficientium creatorum activitate ; tandem de causa finali , quae omitti nequeunt , edicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De notione Pincipii et Causae generatim.

72. Probe intelligi nequit notio causae, nisi quid principium sit, rite fuerit ante perspectum. Hoc enim ad illam comparatur quasi genus ad speciem ; siquidem omnis causa principium quoque est , licet non omne principium sit causa , ut ex dicendis perspicuum erit. Ut itaque ab hoc exordiamur, *principium* definiri potest ita, ut esse dicatur *id, a quo procedit aliquid.* Si enim suos ipse conceptus ac loquendi consuetudinem interpretari quis velit ; comperiet is profecto ea omnia illo nomine designari , quae sunt eiusmodi, ut ex ipsis alia exoriantur. Sic Sol principium lucis, aurora diei, ignis principium caloris assolet nominari. Id autem quod procedit , *principiatum* dicitur. Qua in re animadvertendum est imprimis ad notionem principii pertinere, ut inter ipsum et principiatum consecutio aliqua et nexus intercedat. Qui quidem si exterior

sit duntaxat, et sine influxu actionis unius in alterum, denominatio principii latior est tribuiturque rebus quampluribus, quae intrinsecus non connectuntur. Sic ratione successionis negotium, unde cetera inchoamus, eorumdem principium dicitur; aurora, unde dies exorditur, eius principium audit. At vero si principium inter et principiatum non qualiscunque nexus externus adsit, sed interna connexio et verus actionis influxus illius in alterum; tunc huius vocis usurpatio severior erit magisque propria. Sed principium eiusmodi, quod idcirco sic nominatur, quia in principiatum actuose influat, nullum est in rebus creatis, quod hoc ipso rationem causae non induat. In creatis enim nullum est agens, quod possit actione sua eandem numero naturam, quae in ipso est, cum principiato, quod gignit, communicare. Hoc enim infinitam exquireret perfectionem, et humano captu incomprehensibilem foecunditatem. Quocirca creatis in rebus quicquid principiatum est, idem effectum esse oportet. Semper enim naturam ac realitatem recipit a realitate sui principii numero saltem distinctam; ac proinde dependentem existentiam mutuatur. Tantummodo in augustissimo Trinitatis Mysterio, docente Fide, exemplum habemus principii cuiusdam, quod actuose in principiatum influit impertiendo naturam, nec tamen sit eius causa, propterea quod eidem non naturam elargitur a se distinctam, sed eandem, qua ipsum gaudet, Deinde observandum est ad principium pertinere ut suo principiato aliquo modo sit prius; secus nequaquam id esset, unde hoc procederet. Ut autem intelligatur quonam pacto principium prius esse oporteat, considerari debet triplicem posse praeeundi rationem, quam *prioritatem* appellant, excogitari. Una dicitur *temporis*, qua quidpiam alteri tempore antecedit, atque hoc nondum extante extat; sic dies prior est nocte. Altera dicitur *naturae*, per quam aliquid etsi simul extet cum alio; tamen est eiusmodi, ut hoc ab ipso quoad existentiam pendeat. Sic sol se habet quoad lucem, quae una quidem simul viget, attamen ab eo dependens est. Tertia dicitur *originis*, per quam quidpiam ita sit, ut aliquid ab ipso exoriatur, licet hoc neque tempore sit posterius neque naturam dependentem accipiat. Sic a Fide docemur in Deo se habere Patrem respectu Filii, et utrosque respectu Spiritus Sancti. Iam vero ad rationem principii haec postrema prioritas sufficit, etsi duae ceterae desint superiores. Denique illud etiam animadverte quod inter principium et principiatum distinctio realis intercedat oportet, siquidem haec inter se mutuam relationem habent atque oppositionem; nihil autem sibimet ipsum opponi ac vere referri potest.

73. His explanatis, quae ad distinctam notitiam principii optima sunt, ad notionem causae veniamus. Etsi aliquando, apud Graecos praesertim, principium quodvis actione sua in principiatum influens, causa (graece αἰτία), suevit nominari, tamen severiori interpretatione vox istiusmodi ad tale principium innuendum usurpatur, ex quo id, quod ab ipso procedit, revera in sui realitate pende-

at, ac proinde ab ipso quoad naturam distinctum sit. Hinc causa definiri potest: principium ad tribuendam existentiam alteri a se dependentem influens. Id vero, quod existentiam eiusmodi recipit, nominatur effectus, et ipse actualis influxus, quo causa quaevis in genere suo ad existentiam effectui impertiendam concurrit, *causalitas* vel *causatio* nuncupatur. Porro ad rationem causae quemadmodum satis non est prioritas tantum originis, ita non requiritur prioritas temporis. Exquiritur autem naturae prioritas, utpote cum effectus a sua causa dependentem recipiat realitatem. Sic lux solis, *tempore* quidem cum sole simul extat, at non solum *origine*, sed etiam natura posterior est.

74. Exposita sic definitione causae, ad eius partitionem veniamus. Dico itaque quatuor esse causarum genera: materialem, formalem, efficientem et finalem. Haec divisio experientia et observatione colligitur. Nam in nova rei cuiuspiam productione, cuius exempla innumera iugiter contuemur, quatuor considerari possunt. Primum, ens illud, cuius actione effectus gignitur. Deinde subiectum, in quo ens eiusmodi operatur ad effectum suum producendum. Tertio realitas illa, quicquid sit, quae per talem actionem in subiectum inducitur. Postremo bonum illud, quod agens (si ratione sit praeditum) ex actione sua assequi studet, aut ad quod consequendum (si ratione privatur) a supremo Ordinatore dirigitur. Ponite ante oculos artificem, qui solidam Alexandri effigiem e marmore exculpat. In hoc exemplo, ut videtis, quatuor cogitari debent: artifex ipse, qui statuam elaborat; marmor, ex quo signum illud exurgit; dispositio partium, quam marmor recipit ad Alexandri referendam figuram; denique scopus quem sibi sculptor in operando praestituit. Iamvero horum primum *causa efficiens*, alterum *materialis*, tertium *formalis*, quartum *finalis* nominatur. Ergo quatuor haec causarum vigent genera. Et quoniam, alias quotquot excogitabis ad aliquam ex recensitis reduces facile; adstructa partitio plena est, omnesque complectitur.

75. At enim obiectum, circa quod actio vel scientia versatur; exemplar, ad cuius imitationem aliquid fit; instrumentum, quo utimur in operando, ad quodnam genus causae revocatur?

Repono: Instrumentum in classe causae efficientis contineri, nam licet virtute ex principali agente accepta operetur: tamen aliquid vi etiam sua in effectum confert, vel saltem actionem illam exercet, ad quam a principali causa elevatur. Instrumentum enim eiusmodi aut quia artifex indiget, idcirco assumitur, et tunc clarum est aliquid ad effectum ponendum ab eo conferri, (exemplum habes in penicillo quod a pictore adhibetur): aut non ob indigentiam adhibetur sed propter potentiam potius et munificentiam causae principalis, quae non modo per se ipsa praestare effectum valet, sed insuper efficere potis est ut alia etiam per se non apta ad idipsum praestandum evehantur. Ac tum etiam non minus apertum est huiusmodi instrumenta actionem exercere ali-

quam virtute quidem non sibi interna atque ex naturae orta principiis, sed quam a principalis causae mutuantur influxu. Exemplum habes perspicuum in effectibus naturam excedentibus, quos Deus praeter ordinem, rebus creatis adhibitis, aliquando operatur. Obiectum vero, circa quod scientia vel actio versatur, ad causam formalem reducitur. Quamquam enim eo nomine actualitatem illam severius interpretemur, quae intrinsecus subiectum aliquod informet, ipsumve se largiendo perfectione augeat (quae idcirco forma intrinseca nuncupatur) tamen latiori sensu quidquid speciem realitatemque alterius aliqua ratione determinat, causa eiusdem formalis dici assolet. Quare cum obiectum actionis vel scientiae speciem eisdem elargiatur propter ordinem, quem hae ad ipsum involvunt (in tantum enim actio vel scientia talis est, in quantum circa tale versatur obiectum) hoc earumdem causa formalis, at externa, vocitatur. Denique causa exemplaris reduci potest tum ad finalem, quia eius imitatio ab artifice intenditur; tum ad formalem, quia extrinsecus saltem effectum ad sui similitudinem producendum determinat; tum denique ad causam efficientem, quia est veluti forma quaedam et quasi complementum, vi cuius artifex operatur; omnis autem forma, qua operans afficitur et vi cuius agit, ad efficientem causam reduci potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Causa efficiente, ac Agentium creatorum activitate.

76. Causa efficiens, quaecumque ea sit, generatim definiri posset » principium extrinsecum, quod actione reali et physica effectui largitur existentiam. » Ad cuius definitionis intelligentiam adverte eam idcirco principium extrinsecum appellari, ut distinguatur a causa formali et materiali, quae principia sunt effectum intrinsecus constituentia. Adiungi vero quod in effectum actione reali et physica influat, ut secernatur a finali, quae non physice in effectum operatur, sed efficientem bonitate sua allicit, suique amoris appulsu ad effectum moliendum adducit.

77 Quod ad efficientis causae partitionem attinet, ea dispesci potest: 1. in efficientem *per se* et *per accidens*, ut aiunt. Illa est quae vere et suapte vi influit in effectum; haec autem, quae coniungitur cum causa vere influenti, ipsa autem nihil influit. Sic cum aqua calens calefacere dicitur, intelligenda est ut *causa* per *accidens*. Non enim aqua reapse, tamquam principium, ex quo calor emergat, sed calor alienus in eam forte inductus actionem illam gignit. Quae tamen, quia aqua tum calorem illum sustinet operantem, idcirco aquae tribuitur. II. dividitur in *physicam* et *moralem*. Prima est, quae ipsa per se vires suas in effectum exerit: altera vero quae ita se gerit ut ei effectus imputetur, propter iussum, consilium, vel etiam non prohibitionem. III. Tribuitur in *principalem* et *instrumentalem*. Illa est, quae effectum gignit

per virtutem eiusdem vel altioris rationis, quam sit effectus; haec vero quae ad effectum producendum concurrit per virtutem inferioris ordinis, quae proinde elevari indiget ac regi a causa aliqua superiori. Sic se habet calamus ad scribendum; utpote qui motu manus, et artis eget regimine. IV: Dividitur in *primam* ac *secundam*. Illa est, quae ab altiori causa in operando non pendet, ut Deus; haec vero quae secus se habet in agendo; ut quodvis creatum efficiens. V. Dispartitur in *proximam* et *remotam*. Illa est quae sine intermedia causa in effectum influit, haec vero quae aliis intercedentibus agit. VI. in *univocam* et *aequivocam*: illa est, quae effectum eiusdem perfectionis ac ipsa est, haec vero quae effectum perfectionis inferioris producit. VII. in *totalem* et *partialem*, seu *adaequatam* et *inadaequatam*; illa est quae sola in suo ordine ad effectum sufficit, haec vero quae effectui praestando est impar, et alterius consortio indiget. Denique adde his *necessariam* et *liberam*. Illa est, quae positis omnibus ad agendum requisitis nequit non agere sed necessario exerit actionem: haec vero, quae positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, aut etiam ad contrariam actionem flecti. Porro *requisita ad agendum* nominantur conditiones eae et adiuncta, sine quibus actio sequi non potest, neque agens ad operandum expeditur. Huiusmodi essent ex. gr. ad combustionem quod attinet, siccitas subiecti comburendi, admotio ignis, atque horum similia. Qua in re illud est etiam animadversione dignum quod causa in triplici statu cogitari possit: in *actu primo remoto*, in *actu primo proximo*, in *actu secundo*. Dicitur esse in actu secundo cum operando suam activitatem exercet. Dicitur in actu primo remoto cum ut activitate praedita consideratur, nondum tamen operans aut ad agendum applicita. Denique dicitur in actu primo proximo, cum praeter activitatem omnia adsunt requisita, quae illam ad agendum expediunt.

78 Venio nunc ad quaestionem maximi momenti in philosophia: vera ne activitas causis etiam secundis insit, an secus, sed hae sint inertes prorsus omnique agendi vi destitutae. Fuit enim dogma Occasionalistarum, duce Arnoldo Geulinx (1), quod sistema dilatavit illustravitque praesertim Nicolaus Malebranchius; fuit, inquam Occasionalistarum dogma creaturas omni activitate privari, sed meras occasiones esse, quarum intuitu Deus unice omnia, quae fiunt in rerum universitate perageret: Porro occasionalistae in duplicem partem abiere. Alii enim *rigidiores* omnibus omnino creatis agentibus, ne spiritibus quidem exceptis, vim operandi ademerunt; alii vero *mitiores* corporibus tantum actionem omnem denegarunt, solis spiritibus concesserunt. Nobis adversus utrosque pugnandum erit, ac postquam generalim sive spiritus sive corpora modo sibi consentaneo veras esse causas probaverimus, thesim hanc ab adversariorum argutiis vindicabimus.

(1) Man. dell'ist. della filos. di Tenn tom. 2. 3. p §. 334. e seg.

79. Ac principio quidem contra Occasionalistas rigidos impetum facimus, asserimusque spiritus vera perfrui activitate, ac propriorum effectuum non esse occasiones sed causas. Constat id evidenter vel ex solius conscientiae testimonio; quae nisi falsa pro veris quis mentiendo proferat, exploratum cuique facit se animo suo revera agere. Quisque enim indubie per conscientiam optime sentit se ita moveri atque agi, ut non activitate aliena externoque impulsu, sed vi sibi propria animoque insita operetur. Sic dum volumus, dumque intelligimus, aut vires alias quascunque animi in cognoscendo aut appetendo exercemus, perquam vivide experimur operationes eiusmodi non modo in nobis, verum etiam gigni a nobis, atque ita nos afficere, ut a principio ad naturam ipsam nostram pertinente proficiscantur, Quod conscientiae testimonium infringi nequit aut debilitari, quin simul evidentia omnis ac certitudo una pariter repudietur. Ni igitur rationem ipsam exuamus, aut in delirantium velimus haberi numero, inficiari non possumus animum nostrum (idque pro ceteris etiam valet spiritibus (1)) vera perfrui activitate, operationumque nostrarum non occasionem nos esse sed causam. Praeterea si non animus noster sed, Deus duntaxat in nobis operetur, omnis libertas actionum nostrarum, omne meritum aut demeritum, omne denique discrimen inter honestum et turpe destrueretur, Si enim Deus tantum agit quaecunque fiunt, iniuste admodum flagitia et quodvis scelus homini imputatur; imo nil flagitiosum putandum foret, quippe cum Deus flagitioso non agat. Atque ita ordo moralis, virtutis studium, communis consuetudo, societas denique ipsa funditus pessum iret. Postremo, ne plura consecter, si natura quaevis ad finem aliquem sibi accomodatum consequendum dirigi debet, idque ex sapientia conditoris derivatur; nemo non videt humanum animum, spiritum creatum quemlibet, hoc sibi potissimum vindicare, utpote qui ceteris rebus praestabilior ac multo excellentior dicendus sit. At vero quinam intelligi potest naturalis istaec et innata ad finem directio, sine viribus quibusdam insitis, unde ad finem propositum ens raperetur, eundemque contenderet adipisci? Qua in re iam vides dilatatum esse argumentum, atque ad ipsa corpora iam nos esse ratiocinando porrectos. Haec enim etiam finem aliquem spectare oportet, ac proinde iis instructa esse agendi viribus, quibus ad illum nitantur iugiter. Et quoniam pro spiritibus ab interna experientia deprompsimus rationem; pro corporibus etiam externa suppeditet rationali tamen aliquo fulta principio. Nam quid notius in natura magisque compertum est sensui, quam torrere ignem, solem illuminare, germinare plantas,

(1) De animis reliquorum hominum hoc patens est, siquidem consimilem nobis naturam habent; ubi autem natura eadem, ibi idem iudicium de attributis ferendum est. De spiritibus vero excellentioribus argumentum fiet a *minori* ad *maius*. Quod enim perfectionis est si in naturis viget inferioribus, id multo magis superioribus, ni aliquid obstet, tribuatur oportet!

frondescere, fructus edere, ceteraque, quotquot sunt, corpora suis quaeque gaudere actionibus? Quae sensilis experientia non ipsa seorsum per se sola accipienda est, sed prout communi naturae sensui iungitur, cui, ut in Logica diximus, falsum subiectum esse non potest. Et re quidem vera istaec invariata, uniformis, constans, et universalis experientia, qua determinatos effectus, determinatis quibusdam positis causis, sequi conspicimus, talis est ut generatim in omnes, qui Occasionalismi praeiudiciis imbuti non sint, iudicium firmum inducat existimandi ea phaenomena ex activitate interna illarum causarum revera gigni. Ex quo Humii sophisma reicitur, occurrentis ex experientia sensili nil pro activitate causarum secundarum, imo no pro ipsa notione causae e vinci posse (1); quippe cum exinde alia post alia, non alia ex aliis consequi conspiciamus, atque ideo effectum cum causis coniun-

(1) Recens hic scepticismi repostor ad caliginem scientiis offundendam, notionem hanc philosophiae adeo necessariam obscurare conatur. Quapropter inquit (Essais philos. ess. septiem.) metaphysicam nil habere tam obscurum et incertum, quam notionem activitatis et vis, nimirum causae. Nam cum ideae non sint aliud, quam imagines impressionum, quas experti sumus, nequeunt continere nisi quod percepimus aut sensibus aut conscientia. Iam vero horum neutrum nos causalitatem docet. Sensus enim non referunt nisi iuges successiones phoenomenorum. — La scene de l' Univers est assuiettie a un changement perpétuel; les obiets se suivent dans une succession continuelle: la le pouvoir ou la force, qui anime la machine entiere, se dèrobe à nos regards: et les qualités sensibles des corps n'ont rien qui puisse nous la découvrir. Nous savons, par le fait, que la chaleur est la compagne inséparable de la flamme; main savons-nous conjecturer, ou immaginer même, ce qui les lie? Deinde conatur ostendere non posse ideam causae ex conscientia derivari. Et prima ratio quam affert, est quia secus dignoscere deberemus quid sit haec vis quae agit in corpus, atque vinculum unionis quam habet, et naturam utriusque substantiae—Mais si un sentiment intime nous faisoit appercevoir quelque pouvoir dans la volonté; il faudroit que nous connussions et ce pouvoir, et sa liaison avec le corps et la nature de ces deux substances—Altera ratio est quia secus cognoscere deberemus cur voluntas in aliqua organa imperium habeat, non autem in alia, puta cor aut hepar. Atque similiter ratiocinando suadere studet haberi non posse sensum huius activitatis internae, nisi distincte omnia phaenomena, quae ipsam comitantur, et causae unde pendet perspiciantur. Quare concludit hic etiam non attingi nisi consequutionem unius post aliud, non vero connexionem mutuam et dependentiam. Verum hae sceptici hominis argutiae corruunt prorsus ex iis, quae explicavimus supra. Nam si de externa experientia sermo est, haec non seorsum per se accipienda est ad ideam causae suppeditandam, sed quatenus sensui naturae communi coniungitur, et ratiocinio mentis praebet initium; in quo tamen principia rationalia ex fine generatim inspecto et sapientia conditoris desumantur. Sin vero sermo est de conscientia, haec, ut diximus, aperte testatur influxum virium nostrarum in actiones, quas elicimus. Nec ad veritatem huius testimonii requiritur notitia etiam eorum, quae Humius asserit, sed non probat. Nullus enim est necessarius nexus inter utramque scientiam; atque ideo optime potest unum immediate et evidenter attingi, aliud ratiocinio ad vestigandum relinqui.

ctionem non connexionem attingi. Quod quidem concedi posset si solo sensuum externorum testimonio nitendum esset, non vero si externa exsperientia praeeunte vis intelligentiae ac ratiocinationis accedat sensu fulta naturae communi, aut altioribus nixa principiis, Quae certe, praeter alios fontes, ex sapientia ipsa conditoris desumi potest. Nam cum corpora spectemus iugiter constanterque ad determinatos edendos effectus adhiberi, recte inferri debet ipsa eorumdem veras esse causas: stultum siquidem foret ineptumque iis incassum uti, quae reapse ad ponendum effectum vi sua nihil conferunt, nec ullam actionem exercent, Utitur argumento eiusmodi hac in re D. Thomas, qui sic sapienter inquit: Contra rationem sapientiae est ut sit aliquid frustra in operibus sapientis. Si autem res creatae nullo modo operantur ad effectus producendos, sed solus Deus operatur, frustra essent adhibitae ab ipso aliae res ad producendos effectus» Denique quid plura? Si verum esset Occasionalismi systema, omnis rerum naturalium scientia e medio pelleretur, nec ulla ratio nobis posthac suppeditaret ad rerum creatarum essentias internoscendas. Eas enim non aliter cognoscimus, nisi per attributa et proprietates; proprietates autem per effectus et operationes attingimus. At Occasionalismo semel admisso, nullus nexus intrinsecus inter operationes, quas conspicimus, et substantias creatas extaret amplius: Inepto igitur ac iniuria ex operationibus, quas eliciunt, naturam rerum creatarum arguimus. Et sane in systemate, quod refellimus, effectus operationesque mundanae nequaquam a natura rerum creatarum procederent, sed tantum a Deo, eiusque libera voluntate; qui entibus creatis, vi propria ad effectum nil conferentibus, tanquam meris occasionibus utitur: quique proinde arbitratu suo quibuslibet uti potuisset. Ex eo igitur, quod animi cogitent, non magis liceret inferre ipsorummet simplicitatem, quam ex proprietatibus corporum ea ex partibus coagmentari. Idque constaret duntaxat superioribus ad simplices effectus edendos, posterioribus ad compositos Deum tanquam occasionibus uti. Quae ratiocinatio cum pro singulis rerum generibus valeat, manifestum exinde fit per absurdum Occasionalismi commentum deterrimum in scientias scepticismum induci.

80. At audiamus nunc quibus rationum momentis suam opinionem Occasionalistae fulciri iactent. Imprimis itaque occurrit Malebranchius inquiens ideam causae efficientis repraesentare quid divinum, et licet adstruatur causam secundam agere dependenter a prima, negari tamen non posse quin haec consideranda saltem sit eo casu ut divinitas quaedam inferior, eo fere modo, quo minores Deos olim finxerunt Ethnici; deinde si creaturae agerent, vim infinitam, haberent, id autem soli Deo competit.

Resp. ad 1. sic *distinguendo:* idea causae efficientis limitibus non adstrictae et non dependentis in operando ideam offert divinitatis, *conc.* dependentis et limitibus definitae, *nego.* Causa secunda etsi pro modo suo ad operandum concurrat, concurrit ta-

men per vires finitas, quas una cum existentia a Deo recepit, quaeque ab eodem in ipsa iugiter conservatur. Insuper ita agit, ut natura sua exigat concursum causae primae, a qua in operando iuvetur. Iam vero talis operandi modus nulla ratione divinitatem arguit, sed tantum existentiam aliquam atque activitatem, Nulla igitur hic suspicio Ethnicarum fabularum, quae ab adversario non ad rem evincendam, sed ad terrorem imperitis incutiendum oggeruntur. Ad alterum vero, quod obiicitur, repono vim infinitam requiri non ad quamlibet actionem, sed ad eam duntaxat, qua effectus ex nihilo omnino tum sui tum subiecti educatur. Causis autem secundis non haec operandi vis, quae Dei solius est propria, tribuitur; sed actio, qua aliquid ex nihilo sui tantum, non vero ex nihilo etiam subiecti praeiacentis efficiatur. Id autem ut fiat, tantum abest ut virtus infinita exquiratur, ut potius, quemadmodum Suarius scite observat, Theologi et Philosophi laborent immo in excogitandis rationibus, quibus evidenter convincant animo ad rem quamlibet ex nihilo condendam vim infinitam postulari.

Instant: Deus est qui omnia facit; ergo creaturae nihil agunt.

Resp. *Dist. Ant.* Deus omnia facit ut causa unica, *nego;* ut causa prima, *concedo. Nego* autem omnino *Consequens.* Adversarii propositio ancipiti laborat sensu. Nam si ita intelligitur, ut Deus perinde omnia facere dicatur, quasi ceterae causae ab operando prorsus excludantur, falsa omnino est, neque ipsam revera probant adversarii. Sin autem ita accipitur, ut Deus omnia faciat non ut causa unica, sed ut prima, veritatem continet; sed nil contra nos evincit. Nam ad rationem causae primae non pertinet causas secundas excludere, verum ita admittere, ut hae ab ipsa sint pendentes, eaque concurrente operentur, ipsa autem a nemine pendeat.

Instant II. Causa prima integra est et adaequata: quae autem est eiusmodi, consortium ceterarum excludit. Ergo causae secundae nec modo a nobis adstructo operari possunt.

Resp. *Dist. Maior.* Causa prima integra est et adaequata in suo ordine, *conc*; in omni ordine, *nego.* Pariter *Dist. min.* Causa integra et adaequata excludit consortium ceterarum causarum eiusdem ordinis, *conc.* alterius, *nego.* Eo quod Deus, sit causa adaequata in ordine primi agentis, admitti omnino nequit aliud agens quod instar primae causae una simul operetur. At non inde consequitur exclusio causarum inferioris ordinis, quae agant ut secundae per virtutem acceptam a prima ab ipsaque in operando pendentem.

Instant III. Si tantum Deus ageret, idem sequeretur effectus; ergo actio causae secundae redundat; Atqui nil frustra in operibus sapientis esse debet; Ergo haec actio causarum secundarum divinae sapientiae repugnat.

Resp. *Dist. primum Antecedens*: idem sequeretur effectus et eodem modo se habens, *nego*; diverso, *transeat.* Tum *nego consequens.* Etsi in hypothesi quod Deus tantum influeret, idem effe-

etus quoad sui realitatem extarent; tamen hi non eamdem dependentiam et relationem, quam modo habent, ad causas etiam secundas retinerent, neque eumdem procedendi modum includerent. Aliud enim est produci a solo Deo; aliud produci simul a creatis agentibus sub illius influxu operantibus. Hoc autem commendat magis sapientiam bonitatemque artificis, qui non modo ipse per se agere potis est, sed etiam suis effectibus agendi vim elargiri.

Obiic. II. Spiritus se et corpora movendo semetipsos conservarent, vel Deum ad sui conservationem cogerent. Nam existerent in diversis locis; haec autem existentia conservationem postulat.

Resp. *Nego primum Ant.* Ad *probationem distinguo minorem*: haec autem existentia postulat conservationem habitam a semetipsa, *nego*; habitam a Deo sic libere volente, *concedo*. Fateor equidem spiritum non posse operari ac proinde nec corpora movere, nisi in existendo servetur. Verum haec conservatio non a seipso sed a Deo fieri debet et quidem libere; Deus enim sicuti libere res creavit, ita libere conservat.

Obiic. III. Corpora sunt inertia; ergo saltem haec non agunt.

Resp. *Dist. Ant.* sunt inertia idest de se indifferentia ad motum vel quietem, *conc.* idest inepta ad motum exequendum accepta vi et determinatione a principio aliquo externo, vel incapacia cuiuslibet actionis, *nego*. Obiectio vel ipsum statum quaestionis elabitur. Non enim hic utrum corpora per vires a principio aliquo interno emergentes operentur, an secus, inquirimus; sed utrum revera actionem aliquam exerceant sive per vires sibi intrinsecas, sive aliunde acceptas et illorum naturae superadditas. Quod quidem ad Occasionalistas refellendos abunde sufficit.

ARTICULUS TERTIUS.

De causa Finali.

81. Quod vetus Epicuri et Democriti aliorumque, qui inde profecti sunt, opinio tulit, causas finales utpote luxuriantis ingenii figmenta, a naturae consideratione eliminandas esse: id recentiores non pauci instaurari voluerunt, magno scientiarum detrimento. In primis Baco a Verulamio (1) etsi eas veras putaverit et in Metaphysicis inquisitione dignas, in Physicis tamen omnino steriles imo perniciosas vocavit; eoque inconsiderate progressus est, ut atheismi ansam exinde Aristoteli (qui certe hac nota inuri nequit) datam dixerit. Consimili fere ratione Cartesius (2) causas finales

(1) De Augmento Scientiarum c. 4.

(2) Princ. Phil. p. 1. n. 28. cuius verba haec sunt » Ita denique nullas unquam rationes circa res naturales a fine, quem Deus aut natura sibi

concedit quidem, at nullam ex ipsis in rerum naturalium contemplatione desumi posse rationem statuit; propterea quod fines, quos Deus in rerum universitate moliendo habuit, sine temeritate investigari nequeunt. Ulterius Spinoza processit, causasque finales ceu hominum commenta naturam evertentia sprevit (1); quam sententiam recentiores athei magna consensione susceperunt. Ex quo iam intelligi potest utra opinio faveat atheismo. Ut autem hos errores breviter refutemus, principio dicimus causas finales non esse commentitias sed reales, idque ut pateat, sat esse mentis aciem ad nos ipsos nostrumque operandi modum flectere duntaxat. Quoties enim ut rationales agimus, semper ab aliquo bono ad agendum allicimur, quod actionibus nostris praestituamus, mentisque impotem ducimus eum, qui temere nullumque scopum sibi proponens operationem aggreditur. Unde illud effatum: sapientis est agere propter finem. Quod vero ex fine rebus creatis a Deo ac natura praestituto, optime desumi possit ratio ad res etiam physicas explicandas illustrandasque, evidenter id patet consideranti Deum, utpote sapientissimum et non ex temeritate sed ex intelligentia operantem, ad finem non modo universalem verum etiam peculiarem et proprium singularum res quaslibet direxisse. Porro hi fines etsi aliquando nos latent, saepe tamen manifestari possunt et reapse manifestantur vel ex principiis naturalibus, vel ex constanti creaturarum operatione, vel ex ipsarum structura, vel dispositione, vel ordine. Fine autem perspecto, nil melius haberi potest ac magis conducens ad plenam cognitionem eorum, quae rem, in qua cognitio versatur, attinent; ex fine enim iudicium pendet mediorum, et ad sapientem spectat iuxta scopum, quem operi praefixit suo, perfectionem eiusdem ac partes conformare. Nec iure maculâ temeritatis is aspergitur, qui caute riteque naturam vestigando quod Deus vestigari manifestarique voluit perscrutatur. Occasio autem Atheismi non hinc, sed e contraria potius philosophandi methodo timenda est; siquidem causarum finalium inquisitio supremam quandam intelligentiam artificem mundi patefacit, at harum neglectus casum et temeritatem inducit. Unde Plato et Aristoteles, qui causas finales vestigabant, opus naturae opus intelligentiae dixerunt: Democritus et Epicurus, qui illas ablegarunt, fortuitum atomorum concursum commenti sunt.

82. Horum itaque falsam opinionem reiicientes de causa finali quae scitu necessaria sunt breviter innuamus. Finis itaque definiri potest *id cuius gratia aliquid fit*; vel *id propter quod efficiens operatur.* Eius *causalitas* in eo sita est, ut alliciat appetitum agentis atque ad sui amorem pertrahat. Unde in triplici statu con-

proposuit desumemus, quia non tantum debemus nobis arrogare ut eius consiliorum participes nos esse putemus, sed ipsum ut causam efficientem rerum omnium considerantes etc.

(1) Ethic. par. 1. append. ad prop. 36.

siderari potest, nimirum in actu primo remoto, cum nondum appetitum movet, sed in se ut bonitatem includens inspicitur; in actu primo proximo, cum eius bonitas per intellectum cognoscitur; in actu secundo cum, post cognitionem, voluntatem actu allicit. Habere autem rationem causae manifestissimum est; nam movendo agentem ad aliquid faciendum vel maxime influit ad effectus existentiam, licet modo suo et in cognitione tantum existens. Ad eius vero divisionem quod attinet, dispesci potest 1.° in finem *ultimum*, *proximum*, et *intermedium*. Primus est, qui ultimo; secundus qui proxime et immediate intenditur; postremus, qui inter utrumque medium locum occupat. 2.° dividitur in finem *principalem* et *accessorium*; ille est, qui praecipue; hic qui secundario et concomitanter desideratur. 3.° tribuitur in finem, *qui* appetitur, et in finem, *cui* appetitur. Ille est bonum, in quod tendimus; hic subiectum, cui bonum illud appetimus. 4.° in finem *obiectivum* et *formalem*; primus est obiectum, quod cupimus; alter actus, per quem ipsum assequimur. 5.° in finem *operis* et finem *operantis*; ille est, ad quem opus natura sua spectat; hic quem agens sibi assequendum praestituit.

83. Duo supersunt enucleanda; nimirum sensus illius effati: *Primum in intentione est ultimum in exequutione*, seu, *quod primum contendimus ultimo consequimur*; deinde quo pacto omnia dicantur agere propter finem. Ad illud itaque rite intelligendum, adverto ordinem intentionis nil esse aliud nisi seriem actuum voluntatis, qui circa finem et media versantur, prout haec in mente existunt; ordinem vero exequutionis esse seriem actuum tum voluntatis tum ceterarum operandi virium, qui finem et media attingunt, prout exequenda vel consequenda conspiciuntur. At notum est nos primo appetere finem, atque ex eius desiderio ad media appetenda et seligenda moveri; proinde finis primus est in intentione. In exequutione autem viceversa se res habet; nam primo ponimus media, deinceps vi illorum finem consequimur; proinde finis est ultimus in exequutione. Ad alterum vero quod spectat, videlicet omnia operari propter finem, observa rebus omnibus esse praestitutum aliquem finem, in quem quaeque suis tendunt actionibus, sed multimodis. Nam agentia ratione fruentia hunc finem percipiunt ac semetipsa in illum dirigunt; agentia vero intellectu destituta nequeunt percipere finem, vel si per cognitionem sensilem dignoscunt, neutiquam tamen illum sub ratione finis apprehendunt. Quocirca non se in eumdem ducunt, sed diriguntur ab auctore naturae, qui finem novit ipsisque praefixit. Atque haec de variis Ontologiae notionibus explanasse sit satis; nam si quae alia desiderantur, ea reliquarum Metaphysicae partium processu sumus explicaturi.

FINIS.

METAPHYSICAE GENERALIS CONSPECTUS

IN METAPHYSICAM UNIVERSAM PRAEFATIO . pag. 3

Praenotiones nonnullae circa Metaphysicae nomen, definitionem, obiectum, realitatem partitionem. . . 5

In metaphysicam generalem prolegomenon . . . 7

CAP. I.

De diversis Veritatum Classibus, ac de Principiorum reductione legitima.

ART. I. *Quotuplex veritatum et principiorum genus adsit* . 8

Veritates seu iudicia immediata in duo genera tribuuntur 9

Disseritur de principiis, ac quomodo iudicia ad principii dignitatem evehantur innuitur . . . 10

Duo esse etiam genera principiorum concluditur . 11

ART. II. *Kantii iudicia synthetica a priori repudiantur.* . ibid.

Kantianus processus in hisce statuendis iudicis describitur 12

Doctrinae huius absurditas demonstratur . . . 13

Singula Kantii argumenta solvuntur . . . 14

ART. III. *Expenditur doctrina Humii circa axiomata experimentalia* 16

Quid Reid, Galluppius, Mancinus pro tuenda certitudine illius effati « futurum transacto simile erit » *statuerint exponitur* 17

Quo fundamento certitudo illa iuxta nos niti debeat. 18

ART. IV. *Utrum extet aliquod principium primum, in quod ceterae veritates necessariae reducantur* . . . 20

Status quaestionis in luce ponitur 21
Principium eiusmodi effato illo contineri: nequit idem simul esse et non esse 21
Difficultatibus quae fieri possent occurritur . . 22
ART. V. *Quid sentiendum sit de principio rationis sufficientis*. 24
Rationis sufficientis descriptio . . . . . . ibid.
Veritates contingentes *immediatas non in principium rationis sufficientis, sed in experientiam reapse resolvi; axiomata tamen experimentalia quoad sui universalitatem principio rationis sufficientis inniti*. 25
Beguelini opinatio illius effati certitudinem evertentis exponitur ac refellitur. 26
Ipsius argutiis satisfit 27

CAP. II.

De Ente eiusque generalibus Proprietatibus.

ART. I. *De conceptu entis eiusque proprietatum numero* . 30
Non omnes notiones revera definiri posse. . . ibid.
Conceptus entis *etsi non egeat, quibus tamen descriptionibus possit illustrari* 31
Ens in reale *et* ideale *dispertitur* . . . . ibid.
Ecquid veteres ipsum genus esse inficiati sunt, et an recte 32
Generales entis proprietates describuntur . . . ibid.
ART. II. *De Unitate, Identitate, Similitudine, Distinctione* . 33
Unitatis *notionem non in mera negatione reponi* . ibid.
Variae unitatis *species recensentur* 34
De conceptu identitatis *eiusque speciebus*. . . ibid.
Duo perfecte similia *dari posse contra Leibnitium defenditur* 35
De variis distinctionis *generibus* 36
ART. III. *De entis veritate* 37
Variae eius definitiones expenduntur . . . ibid.
ART. IV. *De bono et malo agnatisque notionibus* . . . 38
In quo notio boni *reponenda sit, tum diversae* boni *partitiones* 39

Difficultates aliquae dissolvuntur 40
De mali *notione et partionibus* 42
Notiones perfecti , ordinis , pulchri , sublimis *tanguntur* 44

CAP. III.

De Praecipuis Entis Partitionibus.

Art. I. *De notione possibilis* 45
Conceptus huius genesis explicatur, tum variae possibilitatis *et* impossibilitatis *species describuntur* .ibid.
Etsi quicquid interne possibile est Deus facere possit, tamen interna Dei possibilitas a divina potentia non pendet 48
Nec cum Cartesio eam a divina voluntate pendere dici posse 50
Internam rerum possibilitatem a Dei natura et intellectu pendere cum Gerdilio et Leibnitio statuendum esse 51
Difficultatibus occurritur 54
Art. II. *De ente prout est existens* 56
Existentiae *et* essentiae *notiones quonam pacto ex obiectorum realium consideratione generantur.* . ibid.
Quo sensu essentiae rerum immutabiles, indivisibiles, aeternae *dici debeant* 57
Absurdissima Lockii doctrina circa essentias in pauca confertur . . . . ibid.
Essentia alia est realis , *alia* notionalis . . . ibid.
Falsam esse circa rerum essentias omnimodam ignorationem a Lockio adstructam 58
Existentiam ab actuali essentia non re sed cogitatione distingui 60
Art. III. *De Necessario et Contingente , Mutabili et Immutabili , Temporaneo et Aeterno* . . . . . . ibid.
Quid necessitas absoluta , *quid* hypothetica . . ibid.
Quid ens necessarium 61
Quid secum ferat conceptus entis immutabilis , *quid notio* mutabilis . . . . ibid.
Quid sit duratio 62

De vera notione aeternitatis 63
Genuensis opinio carpitur, successionem metaphysicam in aeternitate statuentis. . . . . ibid.
Lockii opinatio de conceptu aeternitatis reiicitur . 64
Quid proprie sit tempus . . . . ibid.
Tempus non esse intuitionem quamdam puram a priori nobis insitam instar formae sensibilitatis internae contra Kantium concluditur. 65
ART. IV. *De Finiti et Infiniti, Simplicis et Compositi aliisque affinibus notionibus* . . . . ibid.
Quomodo notio Finiti *et Infiniti in nobis generatur* . ibid.
Infinitas *omnimoda non nisi in ente necessario reperiri potest*. 66
Ens contingens finitam duntaxat activitatem habere posse. 67
Notiones compositi *et* simplicis *explicantur* . . ibid.
Quantitatem actu infinitam repugnare . . . 68
Diversi errores circa notionem spatii *recensentur* . 69
Quid vere spatium reale *sit, quidve* imaginarium . ibid.
ART. V. *De substantia aliisque quae ad ipsam pertinent* . 71
Quomodo conceptus substantiae *et* modorum *in nobis generatur* . . . . ibid.
Ex notione substantiae conceptum naturae *et* suppositi *resultare; tum in quo hic positus sit definitur*. 72
Definitio substantiae, quam Cartesius et Cousin tradunt perpenditur. 73
Lockii opinio reprehenditur 74
Huius obiectiones solvuntur 75
Doctrina de supposito *et* persona *absolvitur, tum de distinctione disseritur inter naturam et subsistentiam*. 76
Lockii opinatio identitatem personae in identitate conscientiae reponentis exponitur et impugnatur. . 78
ART. VI. *De accidentibus* 80
Agitatur quaestio de reali distinctione modorum *a substantiis, et utriusque sententiae momenta proponuntur* . . . . ibid.
Reale aliquod discrimen esse inter modos et substantias ostenditur 82